# HORACE ODES (3034 vers)

O1_1 v.1 Maecenas atavis edite regibus,
2 o et praesidium et dulce decus meum :
3 sunt quos curriculo pulverem Olympicum
4 collegisse juvat metaque fervidis
5 evitata rotis palmaque nobilis.
6 Terrarum dominos evehit ad deos
7 hunc, si mobilium turba Quiritium
8 certat tergeminis tollere honoribus,
9 illum, si proprio condidit horreo
10 quidquid de Libycis verritur areis.
11 Gaudentem patrios findere sarculo
12 agros Attalicis condicionibus
13 numquam demoveas, ut trabe Cypria
14 Myrtoum pavidus nauta secet mare.
15 Luctantem Icariis fluctibus Africum
16 mercator metuens otium et oppidi
17 laudat rura sui ; mox reficit rates
18 quassas indocilis pauperiem pati.
19 Est qui nec veteris pocula Massici
20 nec partem solido demere de die
21 spernit, nunc viridi membra sub arbuto
22 stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.
23 Multos castra juvant et lituo tubae
24 permixtus sonitus bellaque matribus
25 detestata. Manet sub Jove frigido
26 venator tenerae conjugis inmemor,
27 seu visa est catulis cerva fidelibus
28 seu rupit teretes Marsus aper plagas.
29 Me doctarum hederae praemia frontium
30 dis miscent superis, me gelidum nemus
31 Nympharumque leves cum Satyris chori
32 secernunt populo, si neque tibias
33 Euterpe cohibet nec Polyhymnia
34 Lesboum refugit tendere barbiton.
35 Quodsi me lyricis vatibus inseres,
36 sublimi feriam sidera vertice.

O1_2 v.1 Jam satis terris nivis atque dirae
2 grandinis misit pater et rubente
3 dextera sacras jaculatus arcis
4 terruit urbem,
5 terruit gentis, grave ne rediret
6 saeculum Pyrrhae nova monstra questae,
7 omne cum Proteus pecus egit altos
8 visere montis,
9 piscium et summa genus haesit ulmo,
10 nota quae sedes fuerat columbis,

et superjecto pavidae natarunt
aequore dammae.
Vidimus flavum Tiberim retortis
litore Etrusco violenter undis
ire dejectum monumenta regis
templaque Vestae,
Iliae dum se nimium querenti
jactat ultorem, vagus et sinistra
labitur ripa Jove non probante u-
xorius amnis.
Audiet civis acuisse ferrum,
quo graves Persae melius perirent,
audiet pugnas vitio parentum
rara juventus.
Quem vocet divum populus ruentis
imperi rebus ? prece qua fatigent
virgines sanctae minus audientem
carmina Vestam ?
cui dabit partis scelus expiandi
Juppiter ? tandem venias precamur
nube candentis umeros amictus
augur Apollo ;
sive tu mavis, Erycina ridens,
quam Jocus circum volat et Cupido ;
sive neglectum genus et nepotes
respicis, auctor
heu nimis longo satiate ludo,
quem juvat clamor galeaeque leves
acer et Marsi peditis cruentum
voltus in hostem ;
sive mutata juvenem figura
ales in terris imitaris almae
filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor.
Serus in caelum redeas diuque
laetus intersis populo Quirini
neve te nostris vitiis iniquum
ocior aura
tollat ; hic magnos potius triumphos,
hic ames dici pater atque princeps,
neu sinas Medos equitare inultos
te duce, Caesar.

O1_3

Sic te diva potens Cypri,
sic fratres Helenae, lucida sidera,
ventorumque regat pater
obstrictis aliis praeter Iapyga,
navis, quae tibi creditum
debes Vergilium ; finibus Atticis
reddas incolumem precor
et serves animae dimidium meae.
Illi robur et aes triplex
circa pectus erat, qui fragilem truci
commisit pelago ratem
primus, nec timuit praecipitem Africum
decertantem Aquilonibus
nec tristis Hyadas nec rabiem Noti,
quo non arbiter Hadriae

major, tollere seu ponere volt freta.
Quem mortis timuit gradum
qui siccis oculis monstra natantia,
qui vidit mare turbidum et
infamis scopulos Acroceraunia ?
nequiquam deus abscidit
prudens oceano dissociabili
terras, si tamen inpiae
non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
gens humana ruit per vetitum nefas ;
audax Iapeti genus
ignem fraude mala gentibus intulit ;
post ignem aetheria domo
subductum macies et nova febrium
terris incubuit cohors
semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit gradum ;
expertus vacuum Daedalus aera
pennis non homini datis ;
perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus ardui est :
caelum ipsum petimus stultitia neque
per nostrum patimur scelus
iracunda Jovem ponere fulmina.

O1_4

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni
trahuntque siccas machinae carinas
ac neque jam stabulis gaudet pecus aut arator igni
nec prata canis albicant pruinis.
Jam Cytherea choros ducit Venus imminente luna
junctaeque Nymphis Gratiae decentes
alterno terram quatiunt pede, dum gravis Cyclopum
Volcanus ardens visit officinas.
Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto
aut flore, terrae quem ferunt solutae,
nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
seu poscat agna sive malit haedo.
Pallida Mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
regumque turris. O beate Sesti,
vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam ;
jam te premet nox fabulaeque Manes
et domus exilis Plutonia ; quo simul mearis,
nec regna vini sortiere talis
nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet juventus
nunc omnis et mox virgines tepebunt.

O1_5

Quis multa gracilis te puer in rosa
perfusus liquidis urget odoribus
grato, Pyrrha, sub antro ?
cui flavam religas comam
simplex munditiis ? heu quotiens fidem
mutatosque deos flebit et aspera
nigris aequora ventis
emirabitur insolens
qui nunc te fruitur credulus aurea,
qui semper vacuam, semper amabilem
sperat, nescius aurae

fallacis. Miseri, quibus
intemptata nites. Me tabula sacer
votiva paries indicat uvida
suspendisse potenti
vestimenta maris deo.

### O1_6

Scriberis Vario fortis et hostium
victor Maeonii carminis alite,
quam rem cumque ferox navibus aut equis
miles te duce gesserit.
Nos, Agrippa, neque haec dicere nec gravem
Pelidae stomachum cedere nescii
nec cursus duplicis per mare Ulixei
nec saevam Pelopis domum
conamur, tenues grandia, dum pudor
inbellisque lyrae Musa potens vetat
laudes egregii Caesaris et tuas
culpa deterere ingeni.
Quis Martem tunica tectum adamantina
digne scripserit aut pulvere Troico
nigrum Merionen aut ope Palladis
Tydiden superis parem ?
nos convivia, nos proelia virginum
sectis in juvenes unguibus acrium
cantamus, vacui sive quid urimur,
non praeter solitum leves.

### O1_7

Laudabunt alii claram Rhodon aut Mytilenen
aut Epheson bimarisve Corinthi
moenia vel Baccho Thebas vel Apolline Delphos
insignis aut Thessala Tempe ;
sunt quibus unum opus est intactae Palladis urbem
carmine perpetuo celebrare et
undique decerptam fronti praeponere olivam ;
plurimus in Junonis honorem
aptum dicet equis Argos ditisque Mycenas :
me nec tam patiens Lacedaemon
nec tam Larisae percussit campus opimae
quam domus Albuneae resonantis
et praeceps Anio ac Tiburni lucus et uda
mobilibus pomaria rivis.
Albus ut obscuro deterget nubila caelo
saepe Notus neque parturit imbris
perpetuos, sic tu sapiens finire memento
tristitiam vitaeque labores
molli, Plance, mero, seu te fulgentia signis
castra tenent seu densa tenebit
Tiburis umbra tui. Teucer Salamina patremque
cum fugeret, tamen uda Lyaeo
tempora populea fertur vinxisse corona
sic tristis adfatus amicos :
"Quo nos cumque feret melior fortuna parente,
ibimus, o socii comitesque,
nil desperandum Teucro duce et auspice Teucro :
certus enim promisit Apollo
ambiguam tellure nova Salamina futuram.
O fortes pejoraque passi
mecum saepe viri, nunc vino pellite curas ;

cras ingens iterabimus aequor."

O1_8
Lydia, dic, per omnis
te deos oro, Sybarin cur properes amando
perdere, cur apricum
oderit campum, patiens pulveris atque solis,
cur neque militaris
inter aequalis equitet, Gallica nec lupatis
temperet ora frenis ?
cur timet flavum Tiberim tangere ? cur olivum
sanguine viperino
cautius vitat neque jam livida gestat armis
bracchia saepe disco,
saepe trans finem jaculo nobilis expedito ?
quid latet, ut marinae
filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Trojae
funera, ne virilis
cultus in caedem et Lycias proriperet catervas ?

O1_9
Vides ut alta stet nive candidum
Soracte nec jam sustineant onus
silvae laborantes geluque
flumina constiterint acuto ?
dissolve frigus ligna super foco
large reponens atque benignius
deprome quadrimum Sabina,
o Thaliarche, merum diota.
Permitte divis cetera, qui simul
stravere ventos aequore fervido
deproeliantis, nec cupressi
nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
quem Fors dierum cumque dabit, lucro
adpone nec dulcis amores
sperne puer neque tu choreas,
donec virenti canities abest
morosa. nunc et campus et areae
lenesque sub noctem susurri
conposita repetantur hora,
nunc et latentis proditor intumo
gratus puellae risus ab angulo
pignusque dereptum lacertis
aut digito male pertinaci.

O1_10
Mercuri facunde nepos Atlantis,
qui feros cultus hominum recentum
voce formasti catus et decorae
more palaestrae,
te canam, magni Jovis et deorum
nuntium curvaeque lyrae parentem,
callidum, quidquid placuit, jocoso
condere furto.
Te, boves olim nisi reddidisses
per dolum amotas, puerum minaci
voce dum terret, viduus pharetra
risit Apollo.
Quin et Atridas duce te superbos
Ilio dives Priamus relicto

Thessalosque ignis et iniqua Trojae
castra fefellit.
Tu pias laetis animas reponis
sedibus virgaque levem coerces
aurea turbam, superis deorum
gratus et imis.

O1_11

Tu ne quaesieris, scire nefas, quem mihi, quem tibi
finem di dederint, Leuconoe, nec Babylonios
temptaris numeros. Ut melius, quidquid erit, pati.
Seu pluris hiemes seu tribuit Juppiter ultimam,
quae nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum : sapias, vina liques et spatio brevi
spem longam reseces. Dum loquimur, fugerit invida
aetas : carpe diem quam minimum credula postero.

O1_12

Quem virum aut heroa lyra vel acri
tibia sumis celebrare, Clio ?
quem deum ? cujus recinet jocosa
nomen imago
aut in umbrosis Heliconis oris
aut super Pindo gelidove in Haemo ?
unde vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
arte materna rapidos morantem
fluminum lapsus celeresque ventos,
blandum et auritas fidibus canoris
ducere quercus.
Quid prius dicam solitis parentis
laudibus, qui res hominum ac deorum,
qui mare ac terras variisque mundum
temperat horis ?
unde nil majus generatur ipso
nec viget quidquam simile aut secundum.
Proximos illi tamen occupabit
Pallas honores.
Proeliis audax, neque te silebo,
Liber et saevis inimica virgo
beluis, nec te, metuende certa
Phoebe sagitta.
Dicam et Alciden puerosque Ledae,
hunc equis, illum superare pugnis
nobilem ; quorum simul alba nautis
stella refulsit,
defluit saxis agitatus umor,
concidunt venti fugiuntque nubes
et minax, quod sic voluere, ponto
unda recumbit.
Romulum post hos prius an quietum
Pompili regnum memorem, an superbos
Tarquini fascis, dubito, an Catonis
nobile letum :
Regulum et Scauros animaeque magnae
prodigum Paulum superante Poeno
gratus insigni referam camena
Fabriciumque.
Hunc et incomptis Curium capillis
utilem bello tulit et Camillum

saeva paupertas et avitus apto
cum lare fundus.
Crescit occulto velut arbor aevo
fama Marcelli ; micat inter omnis
Julium sidus velut inter ignis
luna minores.
Gentis humanae pater atque custos,
orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data : tu secundo
Caesare regnes.
Ille seu Parthos Latio imminentis
egerit justo domitos triumpho
sive subjectos Orientis orae
Seras et Indos,
te minor latum reget aequus orbem :
tu gravi curru quaties Olympum,
tu parum castis inimica mittes
fulmina lucis.

O1_13

Cum tu, Lydia, Telephi
cervicem roseam, cerea Telephi
laudas bracchia, vae, meum
fervens difficili bile tumet jecur.
Tum nec mens mihi nec color
certa sede manet, umor et in genas
furtim labitur arguens,
quam lentis penitus macerer ignibus.
Uror, seu tibi candidos
turparunt umeros inmodicae mero
rixae sive puer furens
inpressit memorem dente labris notam.
Non, si me satis audias,
speres perpetuum dulcia barbare
laedentem oscula, quae Venus
quinta parte sui nectaris imbuit.
Felices ter et amplius
quos inrupta tenet copula nec malis
divolsus querimoniis
suprema citius solvet amor die.

O1_14

O navis, referent in mare te novi
fluctus. O quid agis ? fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
nudum remigio latus
et malus celeri saucius Africo
antemnaeque gemant ac sine funibus
vix durare carinae
possint imperiosius
aequor ? non tibi sunt integra lintea,
non di, quos iterum pressa voces malo.
Quamvis Pontica pinus,
silvae filia nobilis,
jactes et genus et nomen inutile :
nil pictis timidus navita puppibus
fidit. Tu, nisi ventis
debes ludibrium, cave.
Nuper sollicitum quae mihi taedium,
nunc desiderium curaque non levis,

interfusa nitentis
vites aequora Cycladas.

O1_15

Pastor cum traheret per freta navibus
Idaeis Helenen perfidus hospitam,
ingrato celeres obruit otio
ventos ut caneret fera
Nereus fata : "Mala ducis avi domum
quam multo repetet Graecia milite
conjurata tuas rumpere nuptias
et regnum Priami vetus.
Heu heu, quantus equis, quantus adest viris
sudor ! quanta moves funera Dardanae
genti ! jam galeam Pallas et aegida
currusque et rabiem parat.
Nequicquam Veneris praesidio ferox
pectes caesariem grataque feminis
inbelli cithara carmina divides ;
nequiquam thalamo gravis
hastas et calami spicula Cnosii
vitabis strepitumque et celerem sequi
Ajacem : tamen, heu serus, adulteros
crines pulvere collines.
Non Laertiaden, exitium tuae
genti, non Pylium Nestora respicis ?
urgent inpavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus, sciens
pugnae, sive opus est imperitare equis,
non auriga piger ; Merionen quoque
nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides melior patre,
quem tu, cervus uti vallis in altera
visum parte lupum graminis inmemor,
sublimi fugies mollis anhelitu,
non hoc pollicitus tuae.
Iracunda diem proferet Ilio
matronisque Phrygum classis Achillei ;
post certas hiemes uret Achaicus
ignis Iliacas domos."

O1_16

O matre pulcra filia pulchrior,
quem criminosis cumque voles modum
pones iambis, sive flamma
sive mari libet Hadriano.
Non Dindymene, non adytis quatit
mentem sacerdotum incola Pythius,
non Liber aeque, non acuta
sic geminant Corybantes aera,
tristes ut irae, quas neque Noricus
deterret ensis nec mare naufragum
nec saevus ignis nec tremendo
Juppiter ipse ruens tumultu.
Fertur Prometheus addere principi
limo coactus particulam undique
desectam et insani leonis
vim stomacho adposuisse nostro.
Irae Thyesten exitio gravi
stravere et altis urbibus ultimae

stetere causae, cur perirent
funditus inprimeretque muris
hostile aratrum exercitus insolens.
Conpesce mentem : me quoque pectoris
temptavit in dulci juventa
fervor et in celeres iambos
misit furentem. Nunc ego mitibus
mutare quaero tristia, dum mihi
fias recantatis amica
opprobriis animumque reddas.

O1_17

Velox amoenum saepe Lucretilem
mutat Lycaeo Faunus et igneam
defendit aestatem capellis
usque meis pluviosque ventos.
Inpune tutum per nemus arbutos
quaerunt latentis et thyma deviae
olentis uxores mariti
nec viridis metuunt colubras
nec Martialis haediliae lupos,
utcumque dulci, Tyndari, fistula
valles et Usticae cubantis
levia personuere saxa.
Di me tuentur, dis pietas mea
et musa cordi est. Hic tibi copia
manabit ad plenum benigno
ruris honorum opulenta cornu ;
hic in reducta valle Caniculae
vitabis aestus et fide Teia
dices laborantis in uno
Penelopen vitreamque Circen ;
hic innocentis pocula Lesbii
duces sub umbra nec Semeleius
cum Marte confundet Thyoneus
proelia nec metues protervum
suspecta Cyrum, ne male dispari
incontinentis iniciat manus
et scindat haerentem coronam
crinibus inmeritamque vestem.

O1_18

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem
circa mite solum Tiburis et moenia Catili ;
siccis omnia nam dura deus proposuit neque
mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post vina gravem militiam aut pauperiem crepat ?
quis non te potius, Bacche pater, teque, decens Venus ?
ac ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero
debellata, monet Sithoniis non levis Euhius,
cum fas atque nefas exiguo fine libidinum
discernunt avidi. Non ego te, candide Bassareu,
invitum quatiam nec variis obsita frondibus
sub divum rapiam. Saeva tene cum Berecyntio
cornu tympana, quae subsequitur caecus amor sui
et tollens vacuum plus nimio gloria verticem
arcanique fides prodiga, perlucidior vitro.

O1_19

Mater saeva Cupidinum
Thebanaeque jubet me Semelae puer
et lasciva Licentia
finitis animum reddere amoribus.
Urit me Glycerae nitor
splendentis Pario marmore purius ;
urit grata protervitas
et voltus nimium lubricus adspici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deseruit nec patitur Scythas
aut versis animosum equis
Parthum dicere nec quae nihil attinent.
Hic vivum mihi caespitem, hic
verbenas, pueri, ponite turaque
bimi cum patera meri :
mactata veniet lenior hostia.

O1_20

Vile potabis modicis Sabinum
cantharis, Graeca quod ego ipse testa
conditum levi, datus in theatro
cum tibi plausus,
clare Maecenas eques, ut paterni
fluminis ripae simul et jocosa
redderet laudes tibi Vaticani
montis imago.
Caecubum et prelo domitam Caleno
tu bibes uvam ; mea nec Falernae
temperant vites neque Formiani
pocula colles.

O1_21

Dianam tenerae dicite virgines,
intonsum pueri dicite Cynthium
Latonamque supremo
dilectam penitus Jovi ;
vos laetam fluviis et nemorum coma,
quaecumque aut gelido prominet Algido,
nigris aut Erymanthi
silvis aut viridis Cragi ;
vos Tempe totidem tollite laudibus
natalemque, mares, Delon Apollinis
insignemque pharetra
fraternaque umerum lyra.
Hic bellum lacrimosum, hic miseram famem
pestemque a populo et principe Caesare in
Persas atque Britannos
vestra motus aget prece.

O1_22

Integer vitae scelerisque purus
non eget Mauris jaculis neque arcu
nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra,
sive per Syrtis iter aestuosas
sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
dum meam canto Lalagen et ultra
terminum curis vagor expeditis,

fugit inermem,
quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis
nec Jubae tellus generat, leonum
arida nutrix.
Pone me pigris ubi nulla campis
arbor aestiva recreatur aura,
quod latus mundi nebulae malusque
Juppiter urget ;
pone sub curru nimium propinqui
solis in terra domibus negata :
dulce ridentem Lalagen amabo,
dulce loquentem.

O1_23

Vitas hinnuleo me similis, Chloe,
quaerenti pavidam montibus aviis
matrem non sine vano
aurarum et siluae metu.
Nam seu mobilibus veris inhorruit
adventus foliis seu virides rubum
dimovere lacertae,
et corde et genibus tremit.
Atqui non ego te tigris ut aspera
Gaetulusve leo frangere persequor :
tandem desine matrem
tempestiva sequi viro.

O1_24

Quis desiderio sit pudor aut modus
tam cari capitis ? praecipe lugubris
cantus, Melpomene, cui liquidam pater
vocem cum cithara dedit.
Ergo Quintilium perpetuus sopor
urget ? cui Pudor et Justitiae soror
incorrupta Fides nudaque Veritas
quando ullum inveniet parem ?
Multis ille bonis flebilis occidit,
nulli flebilior quam tibi, Vergili.
Tu, frustra pius, heu non ita creditum
poscis Quintilium deos.
Quid si Threicio blandius Orpheo
auditam moderere arboribus fidem,
num vanae redeat sanguis imagini,
quam virga semel horrida
non lenis precibus fata recludere,
nigro conpulerit Mercurius gregi ?
durum : sed levius fit patientia
quidquid corrigere est nefas.

O1_25

Parcius junctas quatiunt fenestras
jactibus crebris juvenes protervi
nec tibi somnos adimunt amatque
janua limen,
quae prius multum facilis movebat
cardines. audis minus et minus jam :
"Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis ? "
Invicem moechos anus arrogantis
flebis in solo levis angiportu

Thracio bacchante magis sub inter-
lunia vento,
cum tibi flagrans amor et libido,
quae solet matres furiare equorum,
saeviet circa jecur ulcerosum
non sine questu,
laeta quod pubes hedera virenti
gaudeat pulla magis atque myrto,
aridas frondes hiemis sodali
dedicet Euro.

O1_26

Musis amicus tristitiam et metus
tradam protervis in mare Creticum
portare ventis, quis sub Arcto
rex gelidae metuatur orae,
quid Tiridaten terreat, unice
securus. O quae fontibus integris
gaudes, apricos necte flores,
necte meo Lamiae coronam,
Piplea dulcis. Nil sine te mei
prosunt honores : hunc fidibus novis,
hunc Lesbio sacrare plectro
teque tuasque decet sorores.

O1_27

Natis in usum laetitiae scyphis
pugnare Thracum est : tollite barbarum
morem verecundumque Bacchum
sanguineis prohibete rixis.
Vino et lucernis Medus acinaces
immane quantum discrepat : inpium
lenite clamorem, sodales,
et cubito remanete presso.
Voltis severi me quoque sumere
partem Falerni ? dicat Opuntiae
frater Megyllae quo beatus
volnere, qua pereat sagitta.
Cessat voluntas ? non alia bibam
mercede. Quae te cumque domat Venus
non erubescendis adurit
ignibus ingenuoque semper
amore peccas. Quidquid habes, age,
depone tutis auribus. A ! miser,
quanta laborabas Charybdi,
digne puer meliore flamma.
Quae saga, quis te solvere Thessalis
magus venenis, quis poterit deus ?
vix inligatum te triformi
Pegasus expediet Chimaera.

O1_28

Te maris et terrae numeroque carentis harenae
mensorem cohibent, Archyta,
pulveris exigui prope latum parva Matinum
munera nec quicquam tibi prodest
aerias temptasse domos animoque rotundum
percurrisse polum morituro.
Occidit et Pelopis genitor, conviva deorum,
Tithonusque remotus in auras
et Jovis arcanis Minos admissus habentque

Tartara Panthoiden iterum Orco
demissum, quamvis clipeo Trojana refixo
tempora testatus nihil ultra
nervos atque cutem morti concesserat atrae,
judice te non sordidus auctor
naturae verique. Sed omnis una manet nox
et calcanda semel via leti.
Dant alios Furiae torvo spectacula Marti,
exitio est avidum mare nautis ;
mixta senum ac juvenum densentur funera, nullum
saeva caput Proserpina fugit :
me quoque devexi rapidus comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis.
At tu, nauta, vagae ne parce malignus harenae
ossibus et capiti inhumato
particulam dare : sic quodcumque minabitur Eurus
fluctibus Hesperiis Venusinae
plectantur silvae te sospite multaque merces
unde potest tibi defluat aequo
ab Jove Neptunoque sacri custode Tarenti.
Neglegis inmeritis nocituram
postmodo te natis fraudem conmittere ? fors et
debita jura vicesque superbae
te maneant ipsum : precibus non linquar inultis
teque piacula nulla resolvent.
Quamquam festinas, non est mora longa ; licebit
injecto ter pulvere curras.

O1_29

Icci, beatis nunc Arabum invides
gazis et acrem militiam paras
non ante devictis Sabaeae
regibus horribilique Medo
nectis catenas ? quae tibi virginum
sponso necato barbara serviet ?
puer quis ex aula capillis
ad cyathum statuetur unctis,
doctus sagittas tendere Sericas
arcu paterno ? Quis neget arduis
pronos relabi posse rivos
montibus et Tiberim reverti,
cum tu coemptos undique nobilis
libros Panaeti Socraticam et domum
mutare loricis Hiberis,
pollicitus meliora, tendis ?

O1_30

O Venus regina Cnidi Paphique,
sperne dilectam Cypron et vocantis
ture te multo Glycerae decoram
transfer in aedem.
Fervidus tecum puer et solutis
Gratiae zonis properentque Nymphae
et parum comis sine te Juventas
Mercuriusque.

O1_31

Quid dedicatum poscit Apollinem
vates ? quid orat de patera novum
fundens liquorem ? non opimae
Sardiniae segetes feracis,

non aestuosae grata Calabriae
armenta, non aurum aut ebur Indicum,
non rura, quae Liris quieta
mordet aqua taciturnus amnis.
Premant Calenam falce quibus dedit
Fortuna vitem, dives ut aureis
mercator exsiccet culillis
vina Syra reparata merce,
dis carus ipsis, quippe ter et quater
anno revisens aequor Atlanticum
inpune : me pascunt olivae,
me cichorea levesque malvae.
Frui paratis et valido mihi,
Latoe, dones, at, precor, integra
cum mente, nec turpem senectam
degere nec cithara carentem.

O1_32

Poscimur. Si quid vacui sub umbra
lusimus tecum, quod et hunc in annum
vivat et pluris, age, dic Latinum,
barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi,
qui, ferox bello, tamen inter arma,
sive jactatam religarat udo
litore navem,
Liberum et Musas Veneremque et illi
semper haerentem puerum canebat
et Lycum nigris oculis nigroque
crine decorum.
O decus Phoebi et dapibus supremi
grata testudo Jovis, o laborum
dulce lenimen, mihi cumque salve
rite vocanti !

O1_33

Albi, ne doleas plus nimio memor
inmitis Glycerae neu miserabilis
decantes elegos, cur tibi junior
laesa praeniteat fide.
Insignem tenui fronte Lycorida
Cyri torret amor, Cyrus in asperam
declinat Pholoen : sed prius Apulis
jungentur capreae lupis
quam turpi Pholoe peccet adultero.
Sic visum Veneri, cui placet inpares
formas atque animos sub juga aenea
saevo mittere cum joco.
Ipsum me melior cum peteret Venus,
grata detinuit compede Myrtale
libertina, fretis acrior Hadriae
curvantis Calabros sinus.

O1_34

Parcus deorum cultor et infrequens,
insanientis dum sapientiae
consultus erro, nunc retrorsum
vela dare atque iterare cursus
cogor relictos : namque Diespiter
igni corusco nubila dividens
plerumque, per purum tonantis

egit equos volucremque currum,
quo bruta tellus et vaga flumina,
quo Styx et invisi horrida Taenari
sedes Atlanteusque finis
concutitur. Valet ima summis
mutare et insignem attenuat deus,
obscura promens ; hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
sustulit, hic posuisse gaudet.

O1_35

O diva, gratum quae regis Antium,
praesens vel imo tollere de gradu
mortale corpus vel superbos
vertere funeribus triumphos,
te pauper ambit sollicita prece
ruris colonus, te dominam aequoris
quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina.
Te Dacus asper, te profugi Scythae,
urbesque gentesque et Latium ferox
regumque matres barbarorum et
purpurei metuunt tyranni,
injurioso ne pede proruas
stantem columnam neu populus frequens
ad arma cessantis, ad arma
concitet imperiumque frangat.
Te semper anteit saeva Necessitas,
clavos trabalis et cuneos manu
gestans aena nec severus
uncus abest liquidumque plumbum ;
te Spes et albo rara Fides colit
velata panno nec comitem abnegat,
utcumque mutata potentis
veste domos inimica linquis ;
at volgus infidum et meretrix retro
perjura cedit, diffugiunt cadis
cum faece siccatis amici,
ferre jugum pariter dolosi.
Serves iturum Caesarem in ultimos
orbis Britannos et juvenum recens
examen Eois timendum
partibus Oceanoque rubro.
Heu heu, cicatricum et sceleris pudet
fratrumque. Quid nos dura refugimus
aetas, quid intactum nefasti
liquimus ? unde manum juventus
metu deorum continuit ? Quibus
pepercit aris ? O utinam nova
incude diffingas retusum in
Massagetas Arabasque ferrum !

O1_36

Et ture et fidibus juvat
placare et vituli sanguine debito
custodes Numidae deos,
qui nunc Hesperia sospes ab ultima
caris multa sodalibus,
nulli plura tamen dividet oscula
quam dulci Lamiae, memor

actae non alio rege puertiae
mutataeque simul togae.
Cressa ne careat pulcra dies nota
neu promptae modus amphorae
neu morem in Salium sit requies pedum
neu multi Damalis meri
Bassum Threicia vincat amystide
neu desint epulis rosae
neu vivax apium neu breve lilium.
Omnes in Damalin putris
deponent oculos nec Damalis novo
divelletur adultero
lascivis hederis ambitiosior.

O1_37

Nunc est bibendum, nunc pede libero
pulsanda tellus ; nunc Saliaribus
ornare pulvinar deorum
tempus erat dapibus, sodales.
Antehac nefas depromere Caecubum
cellis avitis, dum Capitolio
regina dementis ruinas
funus et imperio parabat
contaminato cum grege turpium
morbo virorum quidlibet inpotens
sperare fortunaque dulci
ebria. Sed minuit furorem
vix una sospes navis ab ignibus,
mentemque lymphatam Mareotico
redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem
remis adurgens, accipiter velut
mollis columbas aut leporem citus
venator in campis nivalis
Haemoniae, daret ut catenis
fatale monstrum. Quae generosius
perire quaerens nec muliebriter
expavit ensem nec latentis
classe cita reparavit oras,
ausa et jacentem visere regiam
voltu sereno, fortis et asperas
tractare serpentes, ut atrum
corpore conbiberet venenum,
deliberata morte ferocior :
saevis Liburnis scilicet invidens
privata deduci superbo,
non humilis mulier, triumpho.

O1_38

Persicos odi, puer, adparatus,
displicent nexae philyra coronae,
mitte sectari, rosa quo locorum
sera moretur.
Simplici myrto nihil adlabores
sedulus, curo : neque te ministrum
dedecet myrtus neque me sub arta
vite bibentem.

O2_1

Motum ex Metello consule civicum
bellique causas et vitia et modos
ludumque Fortunae gravisque
principum amicitias et arma
nondum expiatis uncta cruoribus,
periculosae plenum opus aleae,
tractas et incedis per ignis
suppositos cineri doloso.
Paulum severae Musa tragoediae
desit theatris : mox ubi publicas
res ordinaris, grande munus
Cecropio repetes cothurno,
insigne maestis praesidium reis
et consulenti, Pollio, curiae,
cui laurus aeternos honores
Delmatico peperit triumpho.
Jam nunc minaci murmure cornuum
perstringis auris, jam litui strepunt,
jam fulgor armorum fugacis
terret equos equitumque voltus.
Audire magnos jam videor duces
non indecoro pulvere sordidos
et cuncta terrarum subacta
praeter atrocem animum Catonis.
Juno et deorum quisquis amicior
Afris inulta cesserat impotens
tellure victorum nepotes
rettulit inferias Jugurthae.
Quis non Latino sanguine pinguior
campus sepulcris inpia proelia
testatur auditumque Medis
Hesperiae sonitum ruinae ?
Qui gurges aut quae flumina lugubris
ignara belli ? quod mare Dauniae
non decoloravere caedes ?
quae caret ora cruore nostro ?
sed ne relictis, Musa procax, jocis
Ceae retractes munera Neniae ;
mecum Dionaeo sub antro
quaere modos leviore plectro.

O2_2

Nullus argento color est avaris
abdito terris, inimice lamnae
Crispe Sallusti, nisi temperato
splendeat usu.
Vivet extento Proculeius aevo,
notus in fratres animi paterni ;
illum aget penna metuente solvi
Fama superstes.
Latius regnes avidum domando
spiritum quam si Libyam remotis
Gadibus jungas et uterque Poenus
serviat uni.
Crescit indulgens sibi dirus hydrops
nec sitim pellit, nisi causa morbi
fugerit venis et aquosus albo

corpore languor.
Redditum Cyri solio Phraaten
dissidens plebi numero beatorum
eximit Virtus populumque falsis
dedocet uti
vocibus, regnum et diadema tutum
deferens uni propriamque laurum
quisquis ingentis oculo inretorto
spectat acervos.

O2_3

Aequam memento rebus in arduis
servare mentem, non secus in bonis
ab insolenti temperatam
laetitia, moriture Delli,
seu maestus omni tempore vixeris
seu te in remoto gramine per dies
festos reclinatum bearis
interiore nota Falerni.
Quo pinus ingens albaque populus
umbram hospitalem consociare amant
ramis ? quid obliquo laborat
lympha fugax trepidare rivo ?
Huc vina et unguenta et nimium brevis
flores amoenae ferre jube rosae,
dum res et aetas et Sororum
fila trium patiuntur atra.
Cedes coemptis saltibus et domo
villaque, flavos quam Tiberis lavit,
cedes, et exstructis in altum
divitiis potietur heres.
Divesne prisco natus ab Inacho
nil interest an pauper et infima
de gente sub divo moreris :
victima nil miserantis Orci ;
omnes eodem cogimur, omnium
versatur urna serius ocius
sors exitura et nos in aeternum
exilium inpositura cumbae.

O2_4

Ne sit ancillae tibi amor pudori,
Xanthia Phoceu : prius insolentem
serva Briseis niveo colore
movit Achillem ;
movit Ajacem Telamone natum
forma captivae dominum Tecmessae ;
arsit Atrides medio in triumpho
virgine rapta,
barbarae postquam cecidere turmae
Thessalo victore et ademptus Hector
tradidit fessis leviora tolli
Pergama Grais.
Nescias an te generum beati
Phyllidis flavae decorent parentes ;
regium certe genus, et penatis
maeret iniquos.
Crede non illam tibi de scelesta
plebe dilectam neque sic fidelem,
sic lucro aversam potuisse nasci

matre pudenda.
Bracchia et voltum teretesque suras
integer laudo : fuge suspicari,
cujus octavum trepidavit aetas
claudere lustrum.

O2_5

Nondum subacta ferre jugum valet
cervice, nondum munia conparis
aequare nec tauri ruentis
in venerem tolerare pondus.
Circa virentis est animus tuae
campos juvencae, nunc fluviis gravem
solantis aestum, nunc in udo
ludere cum vitulis salicto
praegestientis. Tolle cupidinem
immitis uvae : jam tibi lividos
distinguet autumnus racemos
purpureo varius colore ;
jam te sequetur ; currit enim ferox
aetas et illi quos tibi dempserit
adponet annos ; jam proterva
fronte petet Lalage maritum,
dilecta, quantum non Pholoe fugax,
non Chloris albo sic umero nitens
ut pura nocturno renidet
luna mari, Cnidiusve Gyges,
quem si puellarum insereres choro,
mire sagacis falleret hospites
discrimen obscurum solutis
crinibus ambiguoque voltu.

O2_6

Septimi, Gadis aditure mecum et
Cantabrum indoctum juga ferre nostra et
barbaras Syrtis, ubi Maura semper
aestuat unda,
Tibur Argeo positum colono
sit meae sedes utinam senectae,
sit modus lasso maris et viarum
militiaeque.
Unde si Parcae prohibent iniquae,
dulce pellitis ovibus Galaesi
flumen et regnata petam Laconi
rura Phalantho.
Ille terrarum mihi praeter omnis
angulus ridet, ubi non Hymetto
mella decedunt viridique certat
baca Venafro,
ver ubi longum tepidasque praebet
Juppiter brumas et amicus Aulon
fertili Baccho minimum Falernis
invidet uvis.
Ille te mecum locus et beatae
postulant arces ; ibi tu calentem
debita sparges lacrima favillam
vatis amici.

O2_7

O saepe mecum tempus in ultimum
deducte Bruto militiae duce,

quis te redonavit Quiritem
dis patriis Italoque caelo,
Pompei, meorum prime sodalium,
cum quo morantem saepe diem mero
fregi, coronatus nitentis
malobathro Syrio capillos ?
Tecum Philippos et celerem fugam
sensi relicta non bene parmula,
cum fracta virtus, et minaces
turpe solum tetigere mento ;
sed me per hostis Mercurius celer
denso paventem sustulit aere,
te rursus in bellum resorbens
unda fretis tulit aestuosis.
Ergo obligatam redde Jovi dapem
longaque fessum militia latus
depone sub lauru mea nec
parce cadis tibi destinatis.
Oblivioso levia Massico
ciboria exple, funde capacibus
unguenta de conchis. Quis udo
deproperare apio coronas
curatve myrto ? quem Venus arbitrum
dicet bibendi ? non ego sanius
bacchabor Edonis : recepto
dulce mihi furere est amico.

O2_8

Ulla si juris tibi pejerati
poena, Barine, nocuisset umquam,
dente si nigro fieres vel uno
turpior ungui,
crederem ; sed tu simul obligasti
perfidum votis caput, enitescis
pulchrior multo juvenumque prodis
publica cura.
Expedit matris cineres opertos
fallere et toto taciturna noctis
signa cum caelo gelidaque divos
morte carentis.
Ridet hoc, inquam, Venus ipsa, rident
simplices Nymphae, ferus et Cupido
semper ardentis acuens sagittas
cote cruenta.
Adde quod pubes tibi crescit omnis,
servitus crescit nova nec priores
inpiae tectum dominae relinquunt
saepe minati.
Te suis matres metuunt juvencis,
te senes parci miseraeque nuper
virgines nuptae, tua ne retardet
aura maritos.

O2_9

Non semper imbres nubibus hispidos
manant in agros aut mare Caspium
vexant inaequales procellae
usque, nec Armeniis in oris,
amice Valgi, stat glacies iners
mensis per omnis aut Aquilonibus

querceta Gargani laborant
et foliis viduantur orni :
tu semper urges flebilibus modis
Mysten ademptum nec tibi Vespero
surgente decedunt amores
nec rapidum fugiente solem.
At non ter aevo functus amabilem
ploravit omnis Antilochum senex
annos nec inpubem parentes
Troilon aut Phrygiae sorores
flevere semper. Desine mollium
tandem querellarum et potius nova
cantemus Augusti tropaea
Caesaris et rigidum Niphaten
Medumque flumen gentibus additum
victis minores volvere vertices
intraque praescriptum Gelonos
exiguis equitare campis.

O2_10

Rectius vives, Licini, neque altum
semper urgendo neque, dum procellas
cautus horrescis, nimium premendo
litus iniquum.
Auream quisquis mediocritatem
diligit, tutus caret obsoleti
sordibus tecti, caret invidenda
sobrius aula.
Saepius ventis agitatur ingens
pinus et celsae graviore casu
decidunt turres feriuntque summos
fulgura montis.
Sperat infestis, metuit secundis
alteram sortem bene praeparatum
pectus. informis hiemes reducit
Juppiter, idem
submovet. Non, si male nunc, et olim
sic erit : quondam cithara tacentem
suscitat Musam neque semper arcum
tendit Apollo.
Rebus angustis animosus atque
fortis appare ; sapienter idem
contrahes vento nimium secundo
turgida vela.

O2_11

Quid bellicosus Cantaber et Scythes,
Hirpine Quinti, cogitet Hadria
divisus objecto, remittas
quaerere nec trepides in usum
poscentis aevi pauca : fugit retro
levis juventas et decor arida
pellente lascivos amores
canitie facilemque somnum.
Non semper idem floribus est honor
vernis neque uno luna rubens nitet
voltu : quid aeternis minorem
consiliis animum fatigas ?
Cur non sub alta vel platano vel hac
pinu jacentes sic temere et rosa

canos odorati capillos,
dum licet, Assyriaque nardo
potamus uncti ? dissipat Euhius
curas edacis. quis puer ocius
restinguet ardentis Falerni
pocula praetereunte lympha ?
quis devium scortum eliciet domo
Lyden ? eburna, dic age, cum lyra
maturet, in comptum Lacaenae
more comam religata nodum.

O2_12
Nolis longa ferae bella Numantiae
nec durum Hannibalem nec Siculum mare
Poeno purpureum sanguine mollibus
aptari citharae modis
nec saevos Lapithas et nimium mero
Hylaeum domitosque Herculea manu
Telluris juvenes, unde periculum
fulgens contremuit domus
Saturni veteris ; tuque pedestribus
dices historiis proelia Caesaris,
Maecenas, melius ductaque per vias
regum colla minacium.
Me dulcis dominae Musa Licymniae
cantus, me voluit dicere lucidum
fulgentis oculos et bene mutuis
fidum pectus amoribus ;
quam nec ferre pedem dedecuit choris
nec certare joco nec dare bracchia
ludentem nitidis virginibus sacro
Dianae celebris die.
Num tu quae tenuit dives Achaemenes
aut pinguis Phrygiae Mygdonias opes
permutare velis crine Licymniae,
plenas aut Arabum domos
cum flagrantia detorquet ad oscula
cervicem aut facili saevitia negat
quae poscente magis gaudeat eripi,
interdum rapere occupet ?

O2_13
Ille et nefasto te posuit die,
quicumque primum, et sacrilega manu
produxit, arbos, in nepotum
perniciem opprobriumque pagi ;
illum et parentis crediderim sui
fregisse cervicem et penetralia
sparsisse nocturno cruore
hospitis, ille venena Colcha
et quidquid usquam concipitur nefas
tractavit, agro qui statuit meo
te, triste lignum, te, caducum
in domini caput inmerentis.
Quid quisque vitet, numquam homini satis
cautum est in horas : navita Bosporum
Poenus perhorrescit neque ultra
caeca timet aliunde fata,
miles sagittas et celerem fugam
Parthi, catenas Parthus et Italum

robur ; sed inprovisa leti
vis rapuit rapietque gentis.
Quam paene furvae regna Proserpinae
et judicantem vidimus Aeacum
sedesque discriptas piorum et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho puellis de popularibus
et te sonantem plenius aureo,
Alcaee, plectro dura navis,
dura fugae mala, dura belli.
Utrumque sacro digna silentio
mirantur umbrae dicere, sed magis
pugnas et exactos tyrannos
densum umeris bibit aure volgus.
Quid mirum, ubi illis carminibus stupens
demittit atras belua centiceps
auris et intorti capillis
Eumenidum recreantur angues ?
quin et Prometheus et Pelopis parens
dulci laborem decipitur sono
nec curat Orion leones
aut timidos agitare lyncas

O2_14

Eheu fugaces, Postume, Postume,
labuntur anni nec pietas moram
rugis et instanti senectae
adferet indomitaeque morti,
non, si trecenis quotquot eunt dies,
amice, places inlacrimabilem
Plutona tauris, qui ter amplum
Geryonen Tityonque tristi
conpescit unda, scilicet omnibus
quicumque terrae munere vescimur
enaviganda, sive reges
sive inopes erimus coloni.
Frustra cruento Marte carebimus
fractisque rauci fluctibus Hadriae,
frustra per autumnos nocentem
corporibus metuemus Austrum :
visendus ater flumine languido
Cocytos errans et Danai genus
infame damnatusque longi
Sisyphus Aeolides laboris.
Linquenda tellus et domus et placens
uxor, neque harum quas colis arborum
te praeter invisas cupressos
ulla brevem dominum sequetur ;
absumet heres Caecuba dignior
servata centum clavibus et mero
tinguet pavimentum superbo,
pontificum potiore cenis.

O2_15

Jam pauca aratro jugera regiae
moles relinquent, undique latius
extenta visentur Lucrino
stagna lacu platanusque caelebs
evincet ulmos ; tum violaria et
myrtus et omnis copia narium

spargent olivetis odorem
fertilibus domino priori ;
tum spissa ramis laurea fervidos
excludet ictus. Non ita Romuli
praescriptum et intonsi Catonis
auspiciis veterumque norma.
Privatus illis census erat brevis,
commune magnum ; nulla decempedis
metata privatis opacam
porticus excipiebat arcton
nec fortuitum spernere caespitem
leges sinebant, oppida publico
sumptu jubentes et deorum
templa novo decorare saxo.

O2_16

Otium divos rogat in patenti
prensus Aegaeo, simul atra nubes
condidit lunam neque certa fulgent
sidera nautis ;
otium bello furiosa Thrace,
otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura ve-
nale nec auro.
Non enim gazae neque consularis
submovet lictor miseros tumultus
mentis et curas laqueata circum
tecta volantis.
Vivitur parvo bene, cui paternum
splendet in mensa tenui salinum
nec levis somnos timor aut cupido
sordidus aufert.
Quid brevi fortes jaculamur aevo
multa ? quid terras alio calentis
sole mutamus ? patriae quis exsul
se quoque fugit ?
Scandit aeratas vitiosa navis
Cura nec turmas equitum relinquit
ocior cervis et agente nimbos
ocior Euro.
Laetus in praesens animus quod ultra est
oderit curare et amara lento
temperet risu : nihil est ab omni
parte beatum.
Abstulit clarum cita mors Achillem,
longa Tithonum minuit senectus,
et mihi forsan tibi quod negarit,
porriget hora.
Te greges centum Siculaeque circum
mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
apta quadrigis equa, te bis Afro
murice tinctae
vestiunt lanae ; mihi parva rura et
spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
spernere volgus.

O2_17

Cur me querelis exanimas tuis ?
nec dis amicum est nec mihi te prius

obire, Maecenas, mearum
grande decus columenque rerum.
A ! te meae si partem animae rapit
maturior vis, quid moror altera,
nec carus aeque nec superstes
integer ? ille dies utramque
ducet ruinam. Non ego perfidum
dixi sacramentum ibimus : ibimus,
utcumque praecedes, supremum
carpere iter comites parati.
Me nec Chimaerae spiritus igneae
nec, si resurgat centimanus gigas,
divellet umquam : sic potenti
Justitiae placitumque Parcis.
Seu Libra seu me Scorpios adspicit
formidolosus pars violentior
natalis horae seu tyrannus
Hesperiae Capricornus undae,
utrumque nostrum incredibili modo
consentit astrum ; te Jovis impio
tutela Saturno refulgens
eripuit volucrisque Fati
tardavit alas, cum populus frequens
laetum theatris ter crepuit sonum ;
me truncus inlapsus cerebro
sustulerat, nisi Faunus ictum
dextra levasset, Mercurialium
custos virorum. Reddere victimas
aedemque votivam memento ;
nos humilem feriemus agnam.

O2_18

Non ebur neque aureum
mea renidet in domo lacunar,
non trabes Hymettiae
premunt columnas ultima recisas
Africa neque Attali
ignotus heres regiam occupavi
nec Laconicas mihi
trahunt honestae purpuras clientae.
at fides et ingeni
benigna vena est pauperemque dives
me petit ; nihil supra
deos lacesso nec potentem amicum
largiora flagito,
satis beatus unicis Sabinis.
Truditur dies die
novaeque pergunt interire lunae ;
tu secanda marmora
locas sub ipsum funus et sepulcri
inmemor struis domos
marisque Bais obstrepentis urges
submovere litora,
parum locuples continente ripa.
Quid quod usque proximos
revellis agri terminos et ultra
limites clientium
salis avarus ? pellitur paternos
in sinu ferens deos

et uxor et vir sordidosque natos.
Nulla certior tamen
rapacis Orci fine destinata
aula divitem manet
erum. Quid ultra tendis ? aequa tellus
pauperi recluditur
regumque pueris nec satelles Orci
callidum Promethea
revexit auro captus. Hic superbum
Tantalum atque Tantali
genus coercet, hic levare functum
pauperem laboribus
vocatus atque non vocatus audit.

O2_19

Bacchum in remotis carmina rupibus
vidi docentem, credite posteri,
Nymphasque discentis et auris
capripedum Satyrorum acutas.
Euhoe, recenti mens trepidat metu
plenoque Bacchi pectore turbidum
laetatur. Euhoe, parce Liber,
parce, gravi metuende thyrso.
Fas pervicacis est mihi Thyiadas
vinique fontem lactis et uberes
cantare rivos atque truncis
lapsa cavis iterare mella ;
fas et beatae conjugis additum
stellis honorem tectaque Penthei
disjecta non leni ruina
Thracis et exitium Lycurgi.
Tu flectis amnis, tu mare barbarum,
tu separatis uvidus in jugis
nodo coerces viperino
Bistonidum sine fraude crinis.
Tu, cum parentis regna per arduum
cohors Gigantum scanderet inpia,
Rhoetum retorsisti leonis
unguibus horribilique mala ;
quamquam choreis aptior et jocis
ludoque dictus, non sat idoneus
pugnae ferebaris ; sed idem
pacis eras mediusque belli.
Te vidit insons Cerberus aureo
cornu decorum leniter atterens
caudam et recedentis trilingui
ore pedes tetigitque crura.

O2_20

Non usitata nec tenui ferar
penna biformis per liquidum aethera
vates neque in terris morabor
longius invidiaque major
urbis relinquam. Non ego, pauperum
sanguis parentum, non ego, quem vocas,
dilecte Maecenas, obibo
nec Stygia cohibebor unda.
Jam jam residunt cruribus asperae
pelles et album mutor in alitem
superne nascunturque leves

per digitos umerosque plumae.
Jam Daedaleo notior Icaro
visam gementis litora Bosphori
Syrtisque Gaetulas canorus
ales Hyperboreosque campos.
Me Colchus et qui dissimulat metum
Marsae cohortis Dacus et ultimi
noscent Geloni, me peritus
discet Hiber Rhodanique potor.
Absint inani funere neniae
luctusque turpes et querimoniae ;
conpesce clamorem ac sepulcri
mitte supervacuos honores.

O3_1

Odi profanum volgus et arceo.
Favete linguis : carmina non prius
audita Musarum sacerdos
virginibus puerisque canto.
Regum timendorum in proprios greges,
reges in ipsos imperium est Jovis,
clari Giganteo triumpho,
cuncta supercilio moventis.
Est ut viro vir latius ordinet
arbusta sulcis, hic generosior
descendat in campum petitor,
moribus hic meliorque fama
contendat, illi turba clientium
sit major : aequa lege Necessitas
sortitur insignis et imos,
omne capax movet urna nomen.
Destrictus ensis cui super inpia
cervice pendet, non Siculae dapes
dulcem elaborabunt saporem,
non avium citharaeque cantus
somnum reducent : somnus agrestium
lenis virorum non humilis domos
fastidit umbrosamque ripam,
non Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem quod satis est neque
tumultuosum sollicitat mare,
nec saevus Arcturi cadentis
impetus aut orientis Haedi,
non verberatae grandine vineae
fundusque mendax arbore, nunc aquas
culpante, nunc torrentia agros
sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta pisces aequora sentiunt
jactis in altum molibus : huc frequens
caementa demittit redemptor
cum famulis dominusque terrae
fastidiosus : sed Timor et Minae
scandunt eodem, quo dominus, neque
decedit aerata triremi et

post equitem sedet atra Cura.
Quod si dolentem nec Phrygius lapis
nec purpurarum sidere clarior
delenit usus nec Falerna
vitis Achaemeniumque costum,
cur invidendis postibus et novo
sublime ritu moliar atrium ?
cur valle permutem Sabina
divitias operosiores ?

O3_2

Angustam amice pauperiem pati
robustus acri militia puer
condiscat et Parthos ferocis
vexet eques metuendus hasta
vitamque sub divo et trepidis agat
in rebus. Illum ex moenibus hosticis
matrona bellantis tyranni
prospiciens et adulta virgo
suspiret, eheu, ne rudis agminum
sponsus lacessat regius asperum
tactu leonem, quem cruenta
per medias rapit ira caedes.
dulce et decorum est pro patria mori :
mors et fugacem persequitur virum
nec parcit inbellis juventae
poplitibus timidoque tergo.
Virtus, repulsae nescia sordidae,
intaminatis fulget honoribus
nec sumit aut ponit securis
arbitrio popularis aurae.
Virtus, recludens inmeritis mori
caelum, negata temptat iter via
coetusque volgaris et udam
spernit humum fugiente pinna.
Est et fideli tuta silentio
merces : vetabo, qui Cereris sacrum
volgarit arcanae, sub isdem
sit trabibus fragilemque mecum
solvat phaselon ; saepe Diespiter
neglectus incesto addidit integrum,
raro antecedentem scelestum
deseruit pede Poena claudo.

O3_3

Justum et tenacem propositi virum
non civium ardor prava jubentium,
non voltus instantis tyranni
mente quatit solida neque Auster,
dux inquieti turbidus Hadriae,
nec fulminantis magna manus Jovis :
si fractus inlabatur orbis,
inpavidum ferient ruinae.
Hac arte Pollux et vagus Hercules
enisus arcis attigit igneas,
quos inter Augustus recumbens
purpureo bibet ore nectar ;
hac te merentem, Bacche pater, tuae
vexere tigres indocili jugum
collo trahentes ; hac Quirinus

Martis equis Acheronta fugit,
gratum elocuta consiliantibus
Junone divis : "Ilion, Ilion
fatalis incestusque judex
et mulier peregrina vertit
in pulverem ex quo destituit deos
mercede pacta Laomedon, mihi
castaeque damnatum Minervae
cum populo et duce fraudulento.
Jam nec Lacaenae splendet adulterae
famosus hospes nec Priami domus
perjura pugnacis Achivos
Hectoreis opibus refringit
nostrisque ductum seditionibus
bellum resedit. Protinus et gravis
iras et invisum nepotem,
Troica quem peperit sacerdos,
Marti redonabo ; illum ego lucidas
inire sedes, discere nectaris
sucos et adscribi quietis
ordinibus patiar deorum.
Dum longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus, qualibet exsules
in parte regnanto beati ;
dum Priami Paridisque busto
insultet armentum et catulos ferae
celent inultae, stet Capitolium
fulgens triumphatisque possit
Roma ferox dare jura Medis.
Horrenda late nomen in ultimas
extendat oras, qua medius liquor
secernit Europen ab Afro,
qua tumidus rigat arva Nilus ;
aurum inrepertum et sic melius situm,
cum terra celat, spernere fortior
quam cogere humanos in usus
omne sacrum rapiente dextra,
quicumque mundo terminus obstitit,
hunc tanget armis, visere gestiens,
qua parte debacchentur ignes,
qua nebulae pluviique rores.
Sed bellicosis fata Quiritibus
hac lege dico, ne nimium pii
rebusque fidentes avitae
tecta velint reparare Trojae.
Trojae renascens alite lugubri
fortuna tristi clade iterabitur,
ducente victrices catervas
conjuge me Jovis et sorore.
Ter si resurgat murus aeneus
auctore Phoebo, ter pereat meis
excisus Argivis, ter uxor
capta virum puerosque ploret."
Non hoc jocosae conveniet lyrae ;
quo, Musa, tendis ? desine pervicax
referre sermones deorum et
magna modis tenuare parvis.

O3_4

Descende caelo et dic age tibia
regina longum Calliope melos,
seu voce nunc mavis acuta
seu fidibus citharave Phoebi.
Auditis ? an me ludit amabilis
insania ? audire et videor pios
errare per lucos, amoenae
quos et aquae subeunt et aurae.
Me fabulosae Volture in Apulo
nutricis extra limina Pulliae
ludo fatigatumque somno
fronde nova puerum palumbes
texere, mirum quod foret omnibus
quicumque celsae nidum Acherontiae
saltusque Bantinos et arvum
pingue tenent humilis Forenti,
ut tuto ab atris corpore viperis
dormirem et ursis, ut premerer sacra
lauroque conlataque myrto
non sine dis animosus infans.
Vester, Camenae, vester in arduos
tollor Sabinos, seu mihi frigidum
Praeneste seu Tibur supinum
seu liquidae placuere Baiae ;
vestris amicum fontibus et choris
non me Philippis versa acies retro,
devota non extinxit arbor
nec Sicula Palinurus unda.
Utcumque mecum vos eritis, libens
insanientem navita Bosphorum
temptabo et urentis harenas
litoris Assyrii viator,
visam Britannos hospitibus feros
et laetum equino sanguine Concanum,
visam pharetratos Gelonos
et Scythicum inviolatus amnem.
Vos Caesarem altum, militia simul
fessas cohortes abdidit oppidis,
finire quaerentem labores
Pierio recreatis antro ;
Vos lene consilium et datis et dato
gaudetis, almae. Scimus, ut impios
Titanas immanemque turbam
fulmine sustulerit caduco,
qui terram inertem, qui mare temperat
ventosum et urbis regnaque tristia
divosque mortalisque turmas
imperio regit unus aequo.
Magnum illa terrorem intulerat Jovi
fidens juventus horrida bracchiis
fratresque tendentes opaco
Pelion inposuisse Olympo.
Sed quid Typhoeus et validus Mimas
aut quid minaci Porphyrion statu,
quid Rhoetus evolsisque truncis
Enceladus jaculator audax
contra sonantem Palladis aegida
possent ruentes ? Hinc avidus stetit

Volcanus, hinc matrona Juno et
numquam umeris positurus arcum,
qui rore puro Castaliae lavit
crinis solutos, qui Lyciae tenet
dumeta natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis consili expers mole ruit sua ;
vim temperatam di quoque provehunt
in majus ; idem odere vires
omne nefas animo moventis.
Testis mearum centimanus gigas
sententiarum, notus et integrae
temptator Orion Dianae,
virginea domitus sagitta.
Injecta monstris Terra dolet suis
maeretque partus fulmine luridum
missos ad Orcum ; nec peredit
inpositam celer ignis Aetnen,
incontinentis nec Tityi jecur
reliquit ales, nequitiae additus
custos ; amatorem trecentae
Pirithoum cohibent catenae.

O3_5

Caelo tonantem credidimus Jovem
regnare : praesens divus habebitur
Augustus adjectis Britannis
imperio gravibusque Persis.
Milesne Crassi conjuge barbara
turpis maritus vixit et hostium,
pro curia inversique mores !
consenuit socerorum in armis
sub rege Medo Marsus et Apulus
anciliorum et nominis et togae
oblitus aeternaeque Vestae,
incolumi Jove et urbe Roma ?
Hoc caverat mens provida Reguli
dissentientis condicionibus
foedis et exemplo trahenti
perniciem veniens in aevum,
si non periret inmiserabilis
captiva pubes : "Signa ego Punicis
adfixa delubris et arma
militibus sine caede " dixit
"derepta vidi ; vidi ego civium
retorta tergo bracchia libero
portasque non clausas et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus scilicet acrior
miles redibit. Flagitio additis
damnum. Neque amissos colores
lana refert medicata fuco,
nec vera virtus, cum semel excidit,
curat reponi deterioribus.
Si pugnat extricata densis
cerva plagis, erit ille fortis,
qui perfidis se credidit hostibus,
et Marte Poenos proteret altero,
qui lora restrictis lacertis

sensit iners timuitque mortem.
Hic, unde vitam sumeret inscius,
pacem duello miscuit. O pudor !
o magna Carthago, probrosis
altior Italiae ruinis !"
Fertur pudicae conjugis osculum
parvosque natos ut capitis minor
ab se removisse et virilem
torvus humi posuisse voltum,
donec labantis consilio patres
firmaret auctor numquam alias dato
interque maerentis amicos
egregius properaret exul.
Atqui sciebat quae sibi barbarus
tortor pararet ; non aliter tamen
dimovit obstantis propinquos
et populum reditus morantem
quam si clientum longa negotia
dijudicata lite relinqueret,
tendens Venafranos in agros
aut Lacedaemonium Tarentum.

O3_6

Delicta majorum inmeritus lues,
Romane, donec templa refeceris
aedisque labentis deorum et
foeda nigro simulacra fumo.
Dis te minorem quod geris, imperas :
hinc omne principium, huc refer exitum.
di multa neglecti dederunt
Hesperiae mala luctuosae.
Jam bis Monaeses et Pacori manus
non auspicatos contudit impetus
nostros et adjecisse praedam
torquibus exiguis renidet.
Paene occupatam seditionibus
delevit urbem Dacus et Aethiops,
hic classe formidatus, ille
missilibus melior sagittis.
Fecunda culpae saecula nuptias
primum inquinavere et genus et domos :
hoc fonte derivata clades
in patriam populumque fluxit.
Motus doceri gaudet Ionicos
matura virgo et fingitur artibus,
jam nunc et incestos amores
de tenero meditatur ungui.
Mox juniores quaerit adulteros
inter mariti vina, neque eligit
cui donet inpermissa raptim
gaudia luminibus remotis,
sed jussa coram non sine conscio
surgit marito, seu vocat institor
seu navis Hispanae magister,
dedecorum pretiosus emptor.
Non his juventus orta parentibus
infecit aequor sanguine Punico
Pyrrhumque et ingentem cecidit
Antiochum Hannibalemque dirum ;

37 sed rusticorum mascula militum
38 proles, Sabellis docta ligonibus
39 versare glaebas et severae
40 matris ad arbitrium recisos
41 portare fustis, sol ubi montium
42 mutaret umbras et juga demeret
43 bubus fatigatis amicum
44 tempus agens abeunte curru.
45 Damnosa quid non inminuit dies ?
46 aetas parentum, pejor avis, tulit
47 nos nequiores, mox daturos
48 progeniem vitiosiorem.

O3_7 v.1 Quid fles, Asterie, quem tibi, candidi
2 primo restituent vere Favonii
3 Thyna merce beatum,
4 constantis juvenem fide
5 Gygen ? ille Notis actus ad Oricum
6 post insana Caprae sidera frigidas
7 noctis non sine multis
8 insomnis lacrimis agit.
9 Atqui sollicitae nuntius hospitae,
10 suspirare Chloen et miseram tuis
11 dicens ignibus uri,
12 temptat mille vafer modis.
13 Ut Proetum mulier perfida credulum
14 falsis inpulerit criminibus nimis
15 casto Bellerophontae
16 maturare necem, refert ;
17 narrat paene datum Pelea Tartaro,
18 Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens,
19 et peccare docentis
20 fallax historias movet.
21 Frustra : nam scopulis surdior Icari
22 voces audit adhuc integer. At tibi
23 ne vicinus Enipeus
24 plus justo placeat cave ;
25 quamvis non alius flectere equum sciens
26 aeque conspicitur gramine Martio,
27 nec quisquam citus aeque
28 Tusco denatat alveo,
29 prima nocte domum claude neque in vias
30 sub cantu querulae despice tibiae
31 et te saepe vocanti
32 duram difficilis mane.

O3_8 v.1 Martiis caelebs quid agam kalendis,
2 quid velint flores et acerra turis
3 plena miraris positusque carbo in
4 caespite vivo,
5 docte sermones utriusque linguae.
6 Voveram dulcis epulas et album
7 Libero caprum prope funeratus
8 arboris ictu.
9 Hic dies anno redeunte festus
10 corticem adstrictum pice dimovebit
11 amphorae fumum bibere institutae
12 consule Tullo.

Sume, Maecenas, cyathos amici
sospitis centum et vigiles lucernas
perfer in lucem ; procul omnis esto
clamor et ira.
Mitte civilis super urbe curas.
Occidit Daci Cotisonis agmen,
Medus infestus sibi luctuosis
dissidet armis,
servit Hispanae vetus hostis orae
Cantaber sera domitus catena,
jam Scythae laxo meditantur arcu
cedere campis.
Neglegens, ne qua populus laboret,
parce privatus nimium cavere et
dona praesentis cape laetus horae,
linque severa.

O3_9

"Donec gratus eram tibi
nec quisquam potior bracchia candidae
cervici juvenis dabat,
Persarum vigui rege beatior."
"Donec non alia magis
arsisti neque erat Lydia post Chloen,
multi Lydia nominis,
Romana vigui clarior Ilia."
"Me nunc Thressa Chloe regit,
dulcis docta modos et citharae sciens,
pro qua non metuam mori,
si parcent animae fata superstiti."
"Me torret face mutua
Thurini Calais filius Ornyti,
pro quo bis patiar mori,
si parcent puero fata superstiti."
"Quid si prisca redit Venus
diductosque jugo cogit aeneo,
si flava excutitur Chloe
rejectaeque patet janua Lydiae ?"
"Quamquam sidere pulchrior
ille est, tu levior cortice et inprobo
iracundior Hadria,
tecum vivere amem, tecum obeam lubens."

O3_10

Extremum Tanain si biberes, Lyce,
saevo nupta viro, me tamen asperas
porrectum ante foris obicere incolis
plorares Aquilonibus.
Audis quo strepitu janua, quo nemus
inter pulcra satum tecta remugiat
ventis, et positas ut glaciet nives
puro numine Juppiter ?
ingratam Veneri pone superbiam,
ne currente retro funis eat rota :
non te Penelopen difficilem procis
Tyrrhenus genuit parens.
O quamvis neque te munera nec preces
nec tinctus viola pallor amantium
nec vir Pieria paelice saucius
curvat, supplicibus tuis

parcas, nec rigida mollior aesculo
nec Mauris animum mitior anguibus :
non hoc semper erit liminis aut aquae
caelestis patiens latus.

O3_11

Mercuri, nam te docilis magistro
movit Amphion lapides canendo,
tuque testudo resonare septem
callida nervis,
nec loquax olim neque grata, nunc et
divitum mensis et amica templis,
dic modos, Lyde quibus obstinatas
adplicet auris,
quae velut latis equa trima campis
ludit exsultim metuitque tangi,
nuptiarum expers et adhuc protervo
cruda marito.
Tu potes tigris comitesque silvas
ducere et rivos celeres morari ;
cessit immanis tibi blandienti
janitor aulae
Cerberus, quamvis furiale centum
muniant angues caput ejus atque
spiritus taeter saniesque manet
ore trilingui.
Quin et Ixion Tityosque voltu
risit invito, stetit urna paulum
sicca, dum grato Danai puellas
carmine mulces.
Audiat Lyde scelus atque notas
virginum poenas et inane lymphae
dolium fundo pereuntis imo
seraque fata,
quae manent culpas etiam sub Orco.
Inpiae, (nam quid potuere majus ?)
inpiae sponsos potuere duro
perdere ferro.
Una de multis face nuptiali
digna perjurum fuit in parentem
splendide mendax et in omne virgo
nobilis aevum,
"Surge", quae dixit juveni marito,
"surge, ne longus tibi somnus, unde
non times, detur ; socerum et scelestas
falle sorores,
quae velut nactae vitulos leaenae
singulos eheu lacerant. Ego illis
mollior nec te feriam neque intra
claustra tenebo.
Me pater saevis oneret catenis,
quod viro clemens misero peperci,
me vel extremos Numidarum in agros
classe releget.
I, pedes quo te rapiunt et aurae,
dum favet Nox et Venus, i secundo
omine et nostri memorem sepulcro
scalpe querelam."

O3_12

Miserarum est neque amori dare ludum neque dulci
mala vino lavere, aut exanimari
metuentis patruae verbera linguae.
Tibi qualum Cythereae puer ales, tibi telas
operosaeque Minervae studium aufert,
Neobule, Liparaei nitor Hebri,
simul unctos Tiberinis umeros lavit in undis,
eques ipso melior Bellerophonte,
neque pugno neque segni pede victus ;
catus idem per apertum fugientis agitato
grege cervos jaculari et celer arto
latitantem fruticeto excipere aprum.

O3_13

O fons Bandusiae splendidior vitro,
dulci digne mero non sine floribus,
cras donaberis haedo,
cui frons turgida cornibus
primis et venerem et proelia destinat.
Frustra : nam gelidos inficiet tibi
rubro sanguine rivos
lascivi suboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculae
nescit tangere, tu frigus amabile
fessis vomere tauris
praebes et pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium
me dicente cavis inpositam ilicem
saxis, unde loquaces
lymphae desiliunt tuae.

O3_14

Herculis ritu modo dictus, o plebs,
morte venalem petiisse laurum,
Caesar Hispana repetit penatis
victor ab ora.
Unico gaudens mulier marito
prodeat justis operata sacris
et soror clari ducis et decorae
supplice vitta
virginum matres juvenumque nuper
sospitum. Vos, o pueri et puellae ac
jam virum expertae, male nominatis
parcite verbis.
Hic dies vere mihi festus atras
exiget curas ; ego nec tumultum
nec mori per vim metuam tenente
Caesare terras.
I, pete unguentum, puer, et coronas
et cadum Marsi memorem duelli,
Spartacum siqua potuit vagantem
fallere testa.
Dic et argutae properet Neaerae
murreum nodo cohibere crinem ;
si per invisum mora janitorem
fiet, abito.
Lenit albescens animos capillus
litium et rixae cupidos protervae ;
non ego hoc ferrem calidus juventa
consule Planco.

O3_15

Uxor pauperis Ibyci,
tandem nequitiae fige modum tuae
famosisque laboribus ;
maturo propior desine funeri
inter ludere virgines
et stellis nebulam spargere candidis.
Non, siquid Pholoen, satis
et te, Chlori, decet. Filia rectius
expugnat juvenum domos,
pulso Thyias uti concita tympano.
illam cogit amor Nothi
lascivae similem ludere capreae :
te lanae prope nobilem
tonsae Luceriam, non citharae decent
nec flos purpureus rosae
nec poti, vetulam, faece tenus cadi.

O3_16

Inclusam Danaen turris aenea
robustaeque fores et vigilum canum
tristes excubiae munierant satis
nocturnis ab adulteris,
si non Acrisium virginis abditae
custodem pavidum, Juppiter et Venus
risissent : fore enim tutum iter et patens
converso in pretium deo.
Aurum per medios ire satellites
et perrumpere amat saxa potentius
ictu fulmineo : concidit auguris
Argivi domus ob lucrum
demersa exitio ; diffidit urbium
portas vir Macedo et subruit aemulos
reges muneribus ; munera navium
saevos inlaqueant duces.
Crescentem sequitur cura pecuniam
majorumque fames. jure perhorrui
late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.
Quanto quisque sibi plura negaverit,
ab dis plura feret ; nil cupientium
nudus castra peto et transfuga divitum
partis linquere gestio,
contemptae dominus splendidior rei,
quam si quidquid arat inpiger Apulus
occultare meis dicerer horreis,
magnas inter opes inops.
Purae rivus aquae silvaque jugerum
paucorum et segetis certa fides meae
fulgentem imperio fertilis Africae
fallit sorte beatior.
Quamquam nec Calabrae mella ferunt apes
nec Laestrygonia Bacchus in amphora
languescit mihi nec pinguia Gallicis
crescunt vellera pascuis,
inportuna tamen pauperies abest,
nec, si plura velim, tu dare deneges.
Contracto melius parva cupidine
vectigalia porrigam

41 quam si Mygdoniis regnum Alyattei
42 campis continuem. Multa petentibus
43 desunt multa ; bene est cui deus obtulit
44 parca quod satis est manu.

O3_17 v.1 Aeli vetusto nobilis ab Lamo,
2 quando et priores hinc Lamias ferunt
3 denominatos et nepotum
4 per memores genus omne fastos,
5 auctore ab illo ducis originem,
6 qui Formiarum moenia dicitur
7 princeps et innantem Maricae
8 litoribus tenuisse Lirim,
9 late tyrannus : - cras foliis nemus
10 multis et alga litus inutili
11 demissa tempestas ab Euro
12 sternet, aquae nisi fallit augur
13 annosa cornix. Dum potes, aridum
14 conpone lignum ; cras genium mero
15 curabis et porco bimenstri
16 cum famulis operum solutis.

O3_18 v.1 Faune, Nympharum fugientum amator,
2 per meos finis et aprica rura
3 lenis incedas abeasque parvis
4 aequus alumnis,
5 si tener pleno cadit haedus anno
6 larga nec desunt Veneris sodali
7 vina craterae, vetus ara multo
8 fumat odore.
9 Ludit herboso pecus omne campo
10 cum tibi nonae redeunt Decembres,
11 festus in pratis vacat otioso
12 cum bove pagus ;
13 inter audacis lupus errat agnos,
14 spargit agrestis tibi silva frondes,
15 gaudet invisam pepulisse fossor
16 ter pede terram.

O3_19 v.1 Quantum distet ab Inacho
2 Codrus pro patria non timidus mori
3 narras et genus Aeaci
4 et pugnata sacro bella sub Ilio.
5 Quo Chium pretio cadum
6 mercemur, quis aquam temperet ignibus,
7 quo praebente domum et quota
8 Paelignis caream frigoribus, taces.
9 Da lunae propere novae,
10 da noctis mediae, da, puer, auguris
11 Murenae. Tribus aut novem
12 miscentur cyathis pocula commodis ?
13 qui Musas amat imparis,
14 ternos ter cyathos attonitus petet
15 vates, tris prohibet supra
16 rixarum metuens tangere Gratia
17 nudis juncta sororibus.
18 Insanire juvat : cur Berecyntiae
19 cessant flamina tibiae ?

cur pendet tacita fistula cum lyra ?
Parcentis ego dexteras
odi : sparge rosas ; audiat invidus
dementem strepitum Lycus
et vicina seni non habilis Lyco.
Spissa te nitidum coma,
puro te similem, Telephe, Vespero
tempestiva petit Rhode :
me lentus Glycerae torret amor meae.

O3_20

Non vides, quanto moveas periclo,
Pyrrhe, Gaetulae catulos leaenae ?
dura post paulo fugies inaudax
proelia raptor,
cum per obstantis juvenum catervas
ibit insignem repetens Nearchum :
grande certamen tibi praeda cedat
major, an illi.
Interim, dum tu celeres sagittas
promis, haec dentis acuit timendos,
arbiter pugnae posuisse nudo
sub pede palmam
fertur, et leni recreare vento
sparsum odoratis umerum capillis,
qualis aut Nireus fuit aut aquosa
raptus ab Ida.

O3_21

O nata mecum consule Manlio,
seu tu querellas sive geris jocos
seu rixam et insanos amores
seu facilem, pia testa, somnum,
quocumque lectum nomine Massicum
servas, moveri digna bono die,
descende, Corvino jubente
promere languidiora vina.
Non ille, quamquam Socraticis madet
sermonibus, te neglegit horridus :
narratur et prisci Catonis
saepe mero caluisse virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
plerumque duro ; tu sapientium
curas et arcanum jocoso
consilium retegis Lyaeo.
Tu spem reducis mentibus anxiis
viresque et addis cornua pauperi
post te neque iratos trementi
regum apices neque militum arma.
Te Liber et si laeta aderit Venus
segnesque nodum solvere Gratiae
vivaeque producent lucernae,
dum rediens fugat astra Phoebus.

O3_22

Montium custos nemorumque virgo,
quae laborantis utero puellas
ter vocata audis adimisque leto,
diva triformis,
imminens villae tua pinus esto,
quam per exactos ego laetus annos

verris obliquum meditantis ictum
sanguine donem.

O3_23

Caelo supinas si tuleris manus
nascente luna, rustica Phidyle,
si ture placaris et horna
fruge Laris avidaque porca,
nec pestilentem sentiet Africum
fecunda vitis nec sterilem seges
robiginem aut dulces alumni
pomifero grave tempus anno.
Nam quae nivali pascitur Algido
devota quercus inter et ilices
aut crescit Albanis in herbis
victima, pontificum securis
cervice tinguet ; te nihil attinet
temptare multa caede bidentium
parvos coronantem marino
rore deos fragilique myrto.
Inmunis aram si tetigit manus,
non sumptuosa blandior hostia,
mollivit aversos Penatis
farre pio et saliente mica.

O3_24

Intactis opulentior
thesauris Arabum et divitis Indiae
caementis licet occupes
terrenum omne tuis et mare publicum :
si figit adamantinos
summis verticibus dira Necessitas
clavos, non animum metu,
non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae,
quorum plaustra vagas rite trahunt domos,
vivunt et rigidi Getae
inmetata quibus jugera liberas
fruges et Cererem ferunt
nec cultura placet longior annua
defunctumque laboribus
aequali recreat sorte vicarius.
Illic matre carentibus
privignis mulier temperat innocens
nec dotata regit virum
conjunx nec nitido fidit adultero ;
dos est magna parentium
virtus et metuens alterius viri
certo foedere castitas,
et peccare nefas aut pretium est mori.
o quisquis volet impias
caedis et rabiem tollere civicam,
si quaeret Pater urbium
subscribi statuis, indomitam audeat
refrenare licentiam,
clarus postgenitis ; quatenus, heu nefas !
virtutem incolumem odimus,
sublatam ex oculis quaerimus invidi.
quid tristes querimoniae,
si non supplicio culpa reciditur,

quid leges sine moribus
vanae proficiunt, si neque fervidis
pars inclusa caloribus
mundi nec Boreae finitimum latus
durataeque solo nives
mercatorem abigunt, horrida callidi
vincunt aequora navitae ?
Magnum pauperies opprobrium jubet
quidvis et facere et pati
virtutisque viam deserit arduae.
Vel nos in Capitolium
quo clamor vocat et turba faventium
vel nos in mare proximum
gemmas et lapides aurum et inutile,
summi materiem mali,
mittamus, scelerum si bene paenitet.
Eradenda cupidinis
pravi sunt elementa et tenerae nimis
mentes asperioribus
formandae studiis. Nescit equo rudis
haerere ingenuus puer
venarique timet, ludere doctior
seu Graeco jubeas trocho
seu malis vetita legibus alea,
cum perjura patris fides
consortem socium fallat et hospites,
indignoque pecuniam
heredi properet. Scilicet inprobae
crescunt divitiae, tamen
curtae nescio quid semper abest rei.

O3_25

Quo me, Bacche, rapis tui
plenum ? quae nemora aut quos agor in specus
velox mente nova ? quibus
antris egregii Caesaris audiar
aeternum meditans decus
stellis inserere et consilio Jovis ?
dicam insigne, recens, adhuc
indictum ore alio. Non secus in jugis
exsomnis stupet Euhias,
Hebrum prospiciens et nive candidam
Thracen ac pede barbaro
lustratam Rhodopen, ut mihi devio
ripas et vacuum nemus
mirari libet. O Naiadum potens
Baccharumque valentium
proceras manibus vertere fraxinos,
nil parvum aut humili modo,
nil mortale loquar. Dulce periculum est,
o Lenaee, sequi deum
cingentem viridi tempora pampino.

O3_26

Vixi puellis nuper idoneus
et militavi non sine gloria ;
nunc arma defunctumque bello
barbiton hic paries habebit,
laevum marinae qui Veneris latus
custodit. Hic, hic ponite lucida

funalia et vectis et arcus
oppositis foribus minacis.
O quae beatam diva tenes Cyprum et
Memphin carentem Sithonia nive,
regina, sublimi flagello
tange Chloen semel arrogantem.

O3_27

Inpios parrae recinentis omen
ducat et praegnans canis aut ab agro
rava decurrens lupa Lanuvino
fetaque volpes ;
rumpat et serpens iter institutum,
si per obliquum similis sagittae
terruit mannos : ego cui timebo
providus auspex,
antequam stantis repetat paludes
imbrium divina avis imminentum,
oscinem corvum prece suscitabo
solis ab ortu.
Sis licet felix, ubicumque mavis,
et memor nostri, Galatea, vivas
teque nec laevos vetet ire picus
nec vaga cornix.
Sed vides quanto trepidet tumultu
pronus Orion. Ego quid sit ater
Hadriae novi sinus et quid albus
peccet Iapyx.
Hostium uxores puerique caecos
sentiant motus orientis Austri et
aequoris nigri fremitum et trementis
verbere ripas.
Sic et Europe niveum doloso
credidit tauro latus et scatentem
beluis pontum mediasque fraudes
palluit audax.
Nuper in pratis studiosa florum et
debitae Nymphis opifex coronae
nocte sublustri nihil astra praeter
vidit et undas.
Quae simul centum tetigit potentem
oppidis Creten : "Pater, o relictum
filiae nomen pietasque" dixit
"victa furore !
unde quo veni ? levis una mors est
virginum culpae. Vigilansne ploro
turpe conmissum an vitiis carentem
ludit imago
vana, quae porta fugiens eburna
somnium ducit ? meliusne fluctus
ire per longos fuit an recentis
carpere flores ?
Si quis infamem mihi nunc juvencum
dedat iratae, lacerare ferro et
frangere enitar modo multum amati
cornua monstri.
Inpudens liqui patrios Penates,
inpudens Orcum moror. O deorum
siquis haec audis, utinam inter errem

52 nuda leones.
53 Antequam turpis macies decentis
54 occupet malas teneraeque sucus
55 defluat praedae, speciosa quaero
56 pascere tigris.
57 Vilis Europe, pater urget absens :
58 quid mori cessas ? potes hac ab orno
59 pendulum zona bene te secuta
60 laedere collum.
61 Sive te rupes et acuta leto
62 saxa delectant, age te procellae
63 crede veloci, nisi erile mavis
64 carpere pensum
65 regius sanguis dominaeque tradi
66 barbarae paelex." Aderat querenti
67 perfidum ridens Venus et remisso
68 filius arcu.
69 Mox ubi lusit satis : "Abstineto"
70 dixit "irarum calidaeque rixae,
71 cum tibi invisus laceranda reddet
72 cornua taurus.
73 Uxor invicti Jovis esse nescis.
74 Mitte singultus, bene ferre magnam
75 disce fortunam ; tua sectus orbis
76 nomina ducet."

O3_28 v.1 Festo quid potius die
2 Neptuni faciam ? prome reconditum,
3 Lyde, strenua Caecubum
4 munitaeque adhibe vim sapientiae.
5 Inclinare meridiem
6 sentis ac, veluti stet volucris dies,
7 parcis deripere horreo
8 cessantem Bibuli consulis amphoram ?
9 Nos cantabimus invicem
10 Neptunum et viridis Nereidum comas,
11 tu curva recines lyra
12 Latonam et celeris spicula Cynthiae ;
13 summo carmine, quae Cnidon
14 fulgentisque tenet Cycladas et Paphon
15 junctis visit oloribus ;
16 dicetur merita Nox quoque nenia.

O3_29 v.1 Tyrrhena regum progenies, tibi
2 non ante verso lene merum cado
3 cum flore, Maecenas, rosarum et
4 pressa tuis balanus capillis
5 jamdudum apud me est : eripe te morae
6 ne semper udum Tibur et Aefulae
7 declive contempleris arvum et
8 Telegoni juga parricidae.
9 Fastidiosam desere copiam et
10 molem propinquam nubibus arduis,
11 omitte mirari beatae
12 fumum et opes strepitumque Romae.
13 Plerumque gratae divitibus vices
14 mundaeque parvo sub lare pauperum
15 cenae sine aulaeis et ostro

sollicitam explicuere frontem.
Jam clarus occultum Andromedae pater
ostendit ignem, jam Procyon furit
et stella vesani Leonis
sole dies referente siccos ;
jam pastor umbras cum grege languido
rivumque fessus quaerit et horridi
dumeta Silvani caretque
ripa vagis taciturna ventis.
Tu civitatem quis deceat status
curas et urbi sollicitus times
quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.
Prudens futuri temporis exitum
caliginosa nocte premit deus
ridetque, si mortalis ultra
fas trepidat. Quod adest memento
conponere aequus ; cetera fluminis
ritu feruntur, nunc medio alveo
cum pace delabentis Etruscum
in mare, nunc lapides adesos
stirpisque raptas et pecus et domos
volventis una, non sine montium
clamore vicinaeque silvae,
cum fera diluvies quietos
inritat amnis. Ille potens sui
laetusque deget cui licet in diem
dixisse : "Vixi" ; cras vel atra
nube polum pater occupato
vel sole puro ; non tamen inritum
quodcumque retro est efficiet neque
diffinget infectumque reddet
quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna saevo laeta negotio et
ludum insolentem ludere pertinax
transmutat incertos honores,
nunc mihi nunc alii benigna.
Laudo manentem ; si celeris quatit
pinnas, resigno quae dedit et mea
virtute me involvo probamque
pauperiem sine dote quaero.
Non est meum, si mugiat Africis
malus procellis, ad miseras preces
decurrere et votis pacisci
ne Cypriae Tyriaeque merces
addant avaro divitias mari ;
tunc me biremis praesidio scaphae
tutum per Aegaeos tumultus
aura feret geminusque Pollux.

O3_30

Exegi monumentum aere perennius
regalique situ pyramidum altius,
quod non imber edax, non aquilo impotens
possit diruere aut innumerabilis
annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar multaque pars mei
vitabit Libitinam ; usque ego postera
crescam laude recens, dum Capitolium

scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
et qua pauper aquae Daunus agrestium
regnavit populorum, ex humili potens,
princeps Aeolium carmen ad Italos
deduxisse modos. Sume superbiam
quaesitam meritis et mihi Delphica
lauro cinge volens, Melpomene, comam.

O4_1

Intermissa, Venus, diu
rursus bella moves ? parce, precor precor.
Non sum qualis eram bonae
sub regno Cinarae. Desine, dulcium
mater saeva Cupidinum,
circa lustra decem flectere mollibus
jam durum imperiis : abi,
quo blandae juvenum te revocant preces.
Tempestivius in domum
Pauli purpureis ales oloribus
comissabere Maximi,
si torrere jecur quaeris idoneum ;
namque et nobilis et decens
et pro sollicitis non tacitus reis
et centum puer artium
late signa feret militiae tuae,
et, quandoque potentior
largi muneribus riserit aemuli,
Albanos prope te lacus
ponet marmoream sub trabe citrea.
Illic plurima naribus
duces tura, lyraque et Berecyntia
delectabere tibia
mixtis carminibus non sine fistula ;
illic bis pueri die
numen cum teneris virginibus tuum
laudantes pede candido
in morem Salium ter quatient humum.
Me nec femina nec puer
jam nec spes animi credula mutui
nec certare juvat mero
nec vincire novis tempora floribus.
Sed cur heu, Ligurine, cur
manat rara meas lacrima per genas ?
cur facunda parum decoro
inter verba cadit lingua silentio ?
nocturnis ego somniis
jam captum teneo, jam volucrem sequor
te per gramina Martii
campi, te per aquas, dure, volubilis.

O4_2

Pindarum quisquis studet aemulari,
Julle, ceratis ope Daedalea
nititur pennis, vitreo daturus

nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
quem super notas aluere ripas,
fervet inmensusque ruit profundo
Pindarus ore,
laurea donandus Apollinari,
seu per audacis nova dithyrambos
verba devolvit numerisque fertur
lege solutis,
seu deos regesque canit, deorum
sanguinem, per quos cecidere justa
morte Centauri, cecidit tremendae
flamma Chimaerae,
sive quos Elea domum reducit
palma caelestis pugilemve equomve
dicit et centum potiore signis
munere donat,
flebili sponsae juvenemve raptum
plorat et viris animumque moresque
aureos educit in astra nigroque
invidet Orco.
Multa Dircaeum levat aura cycnum,
tendit, Antoni, quotiens in altos
nubium tractus ; ego apis Matinae
more modoque
grata carpentis thyma per laborem
plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
carmina fingo.
Concines majore poeta plectro
Caesarem, quandoque trahet ferocis
per sacrum clivum merita decorus
fronde Sygambros ;
quo nihil majus meliusve terris
fata donavere bonique divi
nec dabunt, quamvis redeant in aurum
tempora priscum.
Concines laetosque dies et urbis
publicum ludum super inpetrato
fortis Augusti reditu forumque
litibus orbum.
Tum meae, si quid loquar audiendum,
vocis accedet bona pars et : "O sol
pulcher, o laudande !" canam recepto
Caesare felix.
Teque, dum procedis, "Io Triumphe !"
non semel dicemus, "Io Triumphe !"
civitas omnis dabimusque divis
tura benignis.
Te decem tauri totidemque vaccae,
me tener solvet vitulus, relicta
matre qui largis juvenescit herbis
in mea vota,
fronte curvatos imitatus ignis
tertium lunae referentis ortum,
qua notam duxit, niveus videri,
cetera fulvus.

O4_3 v.1 Quem tu, Melpomene, semel
2 nascentem placido lumine videris,
3 illum non labor Isthmius
4 clarabit pugilem, non equus inpiger
5 curru ducet Achaico
6 victorem neque res bellica Deliis
7 ornatum foliis ducem,
8 quod regum tumidas contuderit minas,
9 ostendet Capitolio ;
10 sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
11 et spissae nemorum comae
12 fingent Aeolio carmine nobilem.
13 Romae principis urbium
14 dignatur suboles inter amabilis
15 vatum ponere me choros
16 et jam dente minus mordeor invido.
17 O testudinis aureae
18 dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
19 o mutis quoque piscibus
20 donatura cycni, si libeat, sonum,
21 totum muneris hoc tui est,
22 quod monstror digito praetereuntium
23 Romanae fidicen lyrae ;
24 quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

O4_4 v.1 Qualem ministrum fulminis alitem,
2 cui rex deorum regnum in avis vagas
3 permisit expertus fidelem
4 Juppiter in Ganymede flavo,
5 olim juventas et patrius vigor
6 nido laborum propulit inscium,
7 vernique jam nimbis remotis
8 insolitos docuere nisus
9 venti paventem, mox in ovilia
10 demisit hostem vividus impetus,
11 nunc in reluctantis dracones
12 egit amor dapis atque pugnae ;
13 qualemve laetis caprea pascuis
14 intenta fulvae matris ab ubere
15 jam lacte depulsum leonem
16 dente novo peritura vidit :
17 videre Raetis bella sub Alpibus
18 Drusum gerentem ; Vindelici - quibus
19 mos unde deductus per omne
20 tempus Amazonia securi
21 dextras obarmet, quaerere distuli,
22 nec scire fas est omnia - sed diu
23 lateque victrices catervae
24 consiliis juvenis revictae
25 sensere, quid mens rite, quid indoles
26 nutrita faustis sub penetralibus
27 posset, quid Augusti paternus
28 in pueros animus Nerones.
29 Fortes creantur fortibus et bonis :
30 est in juvencis, est in equis patrum
31 virtus neque inbellem feroces
32 progenerant aquilae columbam ;
33 doctrina sed vim promovet insitam

34 rectique cultus pectora roborant ;
35 utcumque defecere mores,
36 indecorant bene nata culpae.
37 Quid debeas, o Roma, Neronibus,
38 testis Metaurum flumen et Hasdrubal
39 devictus et pulcher fugatis
40 ille dies Latio tenebris,
41 qui primus alma risit adorea,
42 dirus per urbis Afer ut Italas
43 ceu flamma per taedas vel Eurus
44 per Siculas equitavit undas.
45 Post hoc secundis usque laboribus
46 Romana pubes crevit et inpio
47 vastata Poenorum tumultu
48 fana deos habuere rectos ;
49 dixitque tandem perfidus Hannibal :
50 "Cervi, luporum praeda rapacium,
51 sectamur ultro quos opimus
52 fallere et effugere est triumphus.
53 Gens, quae cremato fortis ab Ilio
54 jactata Tuscis aequoribus sacra
55 natosque maturosque patres
56 pertulit Ausonias ad urbes,
57 duris ut ilex tonsa bipennibus
58 nigrae feraci frondis in Algido,
59 per damna, per caedis ab ipso
60 ducit opes animumque ferro.
61 Non hydra secto corpore firmior
62 vinci dolentem crevit in Herculem,
63 monstrumve submisere Colchi
64 majus Echioniaeve Thebae.
65 Merses profundo, pulchrior evenit ;
66 luctere, multa proruet integrum
67 cum laude victorem geretque
68 proelia conjugibus loquenda.
69 Carthagini jam non ego nuntios
70 mittam superbos ; occidit, occidit
71 spes omnis et fortuna nostri
72 nominis Hasdrubale interempto.
73 Nil Claudiae non perficient manus,
74 quas et benigno numine Juppiter
75 defendit et curae sagaces
76 expediunt per acuta belli".

O4_5 v.1 Divis orte bonis, optume Romulae
2 custos gentis, abes jam nimium diu ;
3 maturum reditum pollicitus patrum
4 sancto concilio redi.
5 Lucem redde tuae, dux bone, patriae ;
6 instar veris enim voltus ubi tuus
7 adfulsit populo, gratior it dies
8 et soles melius nitent.
9 Ut mater juvenem, quem Notus invido
10 flatu Carpathii trans maris aequora
11 cunctantem spatio longius annuo
12 dulci distinet a domo,
13 votis ominibusque et precibus vocat,
14 curvo nec faciem litore dimovet,

sic desideriis icta fidelibus
quaerit patria Caesarem.
Tutus bos etenim rura perambulat,
nutrit rura Ceres almaque Faustitas,
pacatum volitant per mare navitae,
culpari metuit fides,
nullis polluitur casta domus stupris,
mos et lex maculosum edomuit nefas,
laudantur simili prole puerperae,
culpam poena premit comes.
Quis Parthum paveat, quis gelidum Scythen,
quis Germania quos horrida parturit
fetus incolumi Caesare ? quis ferae
bellum curet Hiberiae ?
Condit quisque diem collibus in suis
et vitem viduas ducit ad arbores ;
hinc ad vina redit laetus et alteris
te mensis adhibet deum ;
te multa prece, te prosequitur mero
defuso pateris et Laribus tuum
miscet numen, uti Graecia Castoris
et magni memor Herculis.
"Longas o utinam, dux bone, ferias
praestes Hesperiae ! " dicimus integro
sicci mane die, dicimus uvidi,
cum sol Oceano subest.

O4_6

Dive, quem proles Niobea magnae
vindicem linguae Tityosque raptor
sensit et Trojae prope victor altae
Pthius Achilles,
ceteris major, tibi miles inpar,
filius quamvis Thetidis marinae
Dardanas turris quateret tremenda
cuspide pugnax.
Ille mordaci velut icta ferro
pinus aut inpulsa cupressus Euro
procidit late posuitque collum in
pulvere Teucro ;
ille non inclusus equo Minervae
sacra mentito male feriatos
Troas et laetam Priami choreis
falleret aulam ;
sed palam captis gravis, heu nefas, heu !
nescios fari pueros Achivis
ureret flammis, etiam latentem
matris in alvo,
ni tuis victus Venerisque gratae
vocibus divum pater adnuisset
rebus Aeneae potiore ductos
alite muros.
Doctor argutae fidicen Thaliae
Phoebe, qui Xantho lavis amne crinis,
Dauniae defende decus Camenae,
levis Agyieu.
Spiritum Phoebus mihi, Phoebus artem
carminis nomenque dedit poetae.
Virginum primae puerique claris

patribus orti,
Deliae tutela deae, fugacis
lyncas et cervos cohibentis arcu,
Lesbium servate pedem meique
pollicis ictum,
rite Latonae puerum canentes,
rite crescentem face Noctilucam,
prosperam frugum celeremque pronos
volvere mensis.
Nupta jam dices : "Ego dis amicum,
saeculo festas referente luces,
reddidi carmen docilis modorum
vatis Horati."

O4_7

Diffugere nives, redeunt jam gramina campis
arboribusque comae ;
mutat terra vices et decrescentia ripas
flumina praetereunt ;
Gratia cum Nymphis geminisque sororibus audet
ducere nuda choros.
Inmortalia ne speres, monet annus et almum
quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas,
interitura simul
pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant caelestia lunae :
nos ubi decidimus
quo pius Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
pulvis et umbra sumus.
Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
tempora di superi ?
Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
quae dederis animo.
Cum semel occideris et de te splendida Minos
fecerit arbitria,
non, Torquate, genus, non te facundia, non te
restituet pietas ;
infernis neque enim tenebris Diana pudicum
liberat Hippolytum,
nec Lethaea valet Theseus abrumpere caro
vincula Pirithoo.

O4_8

Donarem pateras grataque commodus,
Censorine, meis aera sodalibus,
donarem tripodas, praemia fortium
Graiorum, neque tu pessuma munerum
ferres, divite me scilicet artium
quas aut Parrhasius protulit aut Scopas,
hic saxo, liquidis ille coloribus
sollers nunc hominem ponere, nunc deum.
Sed non haec mihi vis, non tibi talium
res est aut animus deliciarum egens.
Gaudes carminibus ; carmina possumus
donare et pretium dicere muneri.
Non incisa notis marmora publicis,
per quae spiritus et vita redit bonis
post mortem ducibus, non celeres fugae

16 rejectaeque retrorsum Hannibalis minae,
17 non incendia Carthaginis impiae
18 ejus, qui domita nomen ab Africa
19 lucratus rediit, clarius indicant
20 laudes quam Calabrae Pierides, neque,
21 si chartae sileant quod bene feceris,
22 mercedem tuleris. Quid foret Iliae
23 Mavortisque puer, si taciturnitas
24 obstaret meritis invida Romuli ?
25 Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum
26 virtus et favor et lingua potentium
27 vatum divitibus consecrat insulis.
28 Dignum laude virum Musa vetat mori,
29 caelo Musa beat. Sic Jovis interest
30 optatis epulis inpiger Hercules,
31 clarum Tyndaridae sidus ab infimis
32 quassas eripiunt aequoribus rates,
33 ornatus viridi tempora pampino
34 Liber vota bonos ducit ad exitus.

O4_9 v.1 Ne forte credas interitura quae
2 longe sonantem natus ad Aufidum
3 non ante volgatas per artis
4 verba loquor socianda chordis :
5 non, si priores Maeonius tenet
6 sedes Homerus, Pindaricae latent
7 Ceaeque et Alcaei minaces
8 Stesichorive graves Camenae ;
9 nec siquid olim lusit Anacreon,
10 delevit aetas ; spirat adhuc amor
11 vivuntque conmissi calores
12 Aeoliae fidibus puellae.
13 Non sola comptos arsit adulteri
14 crines et aurum vestibus inlitum
15 mirata regalisque cultus
16 et comites Helene Lacaena
17 primusve Teucer tela Cydonio
18 direxit arcu ; non semel Ilios
19 vexata ; non pugnavit ingens
20 Idomeneus Sthenelusve solus
21 dicenda Musis proelia ; non ferox
22 Hector vel acer Deiphobus gravis
23 excepit ictus pro pudicis
24 conjugibus puerisque primus.
25 Vixere fortes ante Agamemnona
26 multi ; sed omnes inlacrimabiles
27 urgentur ignotique longa
28 nocte, carent quia vate sacro.
29 Paulum sepultae distat inertiae
30 celata virtus. Non ego te meis
31 chartis inornatum silebo
32 totve tuos patiar labores
33 inpune, Lolli, carpere lividas
34 obliviones. Est animus tibi
35 rerumque prudens et secundis
36 temporibus dubiisque rectus,
37 vindex avarae fraudis et abstinens
38 ducentis ad se cuncta pecuniae,

39 consulque non unius anni,
40 sed quotiens bonus atque fidus
41 judex honestum praetulit utili,
42 rejecit alto dona nocentium
43 voltu, per obstantis catervas
44 explicuit sua victor arma.
45 Non possidentem multa vocaveris
46 recte beatum ; rectius occupat
47 nomen beati, qui deorum
48 muneribus sapienter uti
49 duramque callet pauperiem pati
50 pejusque leto flagitium timet,
51 non ille pro caris amicis
52 aut patria timidus perire.

O4_10 v.1 O crudelis adhuc et Veneris muneribus potens,
2 insperata tuae cum veniet pluma superbiae
3 et, quae nunc umeris involitant, deciderint comae,
4 nunc et qui color est puniceae flore prior rosae
5 mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam,
6 dices, heu, quotiens te speculo videris alterum :
7 "Quae mens est hodie, cur eadem non puero fuit,
8 vel cur his animis incolumes non redeunt genae ?"

O4_11 v.1 Est mihi nonum superantis annum
2 plenus Albani cadus, est in horto,
3 Phylli, nectendis apium coronis,
4 est hederae vis
5 multa, qua crinis religata fulges,
6 ridet argento domus, ara castis
7 vincta verbenis avet immolato
8 spargier agno ;
9 cuncta festinat manus, huc et illuc
10 cursitant mixtae pueris puellae,
11 sordidum flammae trepidant rotantes
12 vertice fumum.
13 Ut tamen noris quibus advoceris
14 gaudiis, Idus tibi sunt agendae,
15 qui dies mensem Veneris marinae
16 findit Aprilem,
17 jure sollemnis mihi sanctiorque
18 paene natali proprio, quod ex hac
19 luce Maecenas meus adfluentis
20 ordinat annos.
21 Telephum, quem tu petis, occupavit
22 non tuae sortis juvenem puella
23 dives et lasciva tenetque grata
24 compede vinctum.
25 Terret ambustus Phaethon avaras
26 spes et exemplum grave praebet ales
27 Pegasus terrenum equitem gravatus
28 Bellerophontem,
29 semper ut te digna sequare et ultra
30 quam licet sperare nefas putando
31 disparem vites. Age jam, meorum
32 finis amorum
33 (non enim posthac alia calebo
34 femina), condisce modos, amanda

voce quos reddas ; minuentur atrae
carmine curae.

O4_12

Jam veris comites, quae mare temperant,
inpellunt animae lintea Thraciae,
jam nec prata rigent nec fluvii strepunt
hiberna nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
infelix avis et Cecropiae domus
aeternum opprobrium, quod male barbaras
regum est ulta libidines.
Dicunt in tenero gramine pinguium
custodes ovium carmina fistula
delectantque deum, cui pecus et nigri
colles Arcadiae placent.
Adduxere sitim tempora, Vergili ;
sed pressum Calibus ducere Liberum
si gestis, juvenum nobilium cliens,
nardo vina merebere.
Nardi parvus onyx eliciet cadum,
qui nunc Sulpiciis adcubat horreis,
spes donare novas largus amaraque
curarum eluere efficax.
Ad quae si properas gaudia, cum tua
velox merce veni ; non ego te meis
inmunem meditor tinguere poculis,
plena dives ut in domo.
Verum pone moras et studium lucri,
nigrorumque memor, dum licet, ignium
misce stultitiam consiliis brevem :
dulce est desipere in loco.

O4_13

Audivere, Lyce, di mea vota, di
audivere, Lyce : fis anus et tamen
vis formosa videri
ludisque et bibis inpudens
et cantu tremulo pota Cupidinem
lentum sollicitas. Ille virentis et
doctae psallere Chiae
pulchris excubat in genis.
Inportunus enim transvolat aridas
quercus et refugit te quia luridi
dentes, te quia rugae
turpant et capitis nives.
Nec Coae referunt jam tibi purpurae
nec cari lapides tempora, quae semel
notis condita fastis
inclusit volucris dies.
Quo fugit venus, heu, quove color, decens
quo motus ? quid habes illius, illius,
quae spirabat amores,
quae me surpuerat mihi,
felix post Cinaram notaque et artium
gratarum facies ? sed Cinarae brevis
annos fata dederunt,
servatura diu parem
cornicis vetulae temporibus Lycen,
possent ut juvenes visere fervidi

multo non sine risu
dilapsam in cineres facem.

O4_14

Quae cura patrum quaeve Quiritium
plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
per titulos memoresque fastus
aeternet, o qua sol habitabilis
inlustrat oras, maxime principum ?
quem legis expertes Latinae
Vindelici didicere nuper
quid Marte posses. Milite nam tuo
Drusus Genaunos, inplacidum genus,
Breunosque velocis et arcis
Alpibus inpositas tremendis
dejecit acer plus vice simplici.
Major Neronum mox grave proelium
conmisit immanisque Raetos
auspiciis pepulit secundis,
spectandus in certamine Martio,
devota morti pectora liberae
quantis fatigaret ruinis,
indomitas prope qualis undas
exercet Auster Pleiadum choro
scindente nubes, inpiger hostium
vexare turmas et frementem
mittere equum medios per ignis.
Sic tauriformis volvitur Aufidus,
qui regna Dauni praefluit Apuli,
cum saevit horrendamque cultis
diluviem meditatur agris,
ut barbarorum Claudius agmina
ferrata vasto diruit impetu
primosque et extremos metendo
stravit humum sine clade victor,
te copias, te consilium et tuos
praebente divos. Nam tibi quo die
portus Alexandrea supplex
et vacuam patefecit aulam,
Fortuna lustro prospera tertio
belli secundos reddidit exitus
laudemque et optatum peractis
imperiis decus adrogavit.
Te Cantaber non ante domabilis
Medusque et Indus, te profugus Scythes
miratur, o tutela praesens
Italiae dominaeque Romae ;
te fontium qui celat origines
Nilusque et Hister, te rapidus Tigris,
te beluosus qui remotis
obstrepit Oceanus Britannis,
te non paventis funera Galliae
duraeque tellus audit Hiberiae,
te caede gaudentes Sygambri
conpositis venerantur armis.

O4_15

Phoebus volentem proelia me loqui
victas et urbis increpuit lyra,

ne parva Tyrrhenum per aequor
vela darem. Tua, Caesar, aetas
fruges et agris rettulit uberes
et signa nostro restituit Jovi
derepta Parthorum superbis
postibus et vacuum duellis
Janum Quirini clausit et ordinem
rectum evaganti frena licentiae
injecit emovitque culpas
et veteres revocavit artes
per quas Latinum nomen et Italae
crevere vires famaque et imperi
porrecta majestas ad ortus
solis ab Hesperio cubili.
Custode rerum Caesare non furor
civilis aut vis exiget otium,
non ira, quae procudit enses
et miseras inimicat urbis.
Non qui profundum Danuvium bibunt
edicta rumpent Julia, non Getae,
non Seres infidique Persae,
non Tanain prope flumen orti.
Nosque et profestis lucibus et sacris
inter jocosi munera Liberi
cum prole matronisque nostris
rite deos prius adprecati,
virtute functos more patrum duces
Lydis remixto carmine tibiis
Trojamque et Anchisen et almae
progeniem Veneris canemus.